Ignatius St. Česaitis

Fortitudo

praecipua

Characteris Virtus

Mariampoli — Lituaniae
Typis „Šešupė" Librar.
1925.

FORTITUDO

PRAECIPUA CHARACTERIS VIRTUS

Dissertatio ad S. Theologiae Doctoris gradum obtinendum in Universitate Friburgensi Helvetiorum conscripta est.

Ignatius St. Česaitis

FORTITUDO

PRAECIPUA CHARACTERIS VIRTUS

Mariampoli — Lituaniae
Typis „Šešupė“ Librar.
1925.

IMPRIMI POTEST.

Mariampoli, die 1 Iunii, 1925 a.

Vincentius Gergelis
Superior Domus.

№ 820

IMPRIMATUR.

Mariampoli, die 4 Iunii 1925 a.

† ***Antonius** Eppus*

L. S.

PRAEFATIO.

Me frequentante praelectiones theologiae speculativae, Illustrissimus Magister noster de Langen-Wendels O. P. infra semestre hiemale anno scholari 1915-16, explicaverat doctrinam s. Thomae de habitibus. Atque eo tempore faculter evaluit Ipse attentionem discipulorum in problema characteris excitare.

Quodsi omni tempore studii mei auscultabam magna cum attentione ejus praelectiones, hac imo vice praebuit ille tantam abundantiam doctrinae Doctoris Angelici, ut statuerim eam adhibere pro futura dissertatione mea.

Postquam visi cum ethologia stantes tractatus et deinceps subjeci examini opera recentiora atque ordinem materiae misi, coepi illum exsequi.

Non puto illum esse ex toto integrum. Considerans enim principalem virtutem characteris fortitudinem fuse lateque eam descripsi. Non minus item secundarias quaestiones in principalioribus delineamentis attrectavi. Fateor vero harum partium laborem per synthesin pluris mihi venisse, sed gaudeo quo cum sudore stillaverit tota series problematum investigatione indigentium. Nil mirum! Studium de charactere est tam summa doctrinae moralis, consequentia pedagogiae ultima, quam illud communicatum doctrinae naturae humanae est evolutio perfecta omnium virium hominis — homo perfectus.

Tandem terminans orationem hujus praefationis, habeo multas grates gratias persolvere Illustrissimo Magistro, simul quaeso Illum hoc opus sic accipere, ut primitias ex agro studiorum meo.

Introductio

A. DE HOMINE IN SE CONSIDERATO.

Supponuntur ex anthropologia notiones.

„Et ut intentio nostra sub aliquibus certis limitibus comprehendatur, necessarium est primo investigare de ipsa sacra doctrina, qualis sit, et ad quae se extendat", incipit s. Thomas Iam qu. Iae. partis. Neve nostra consideratio de homine excedat intentos limites ipso initio dicendum est quo aspectu illam investigemus.

Hominem examinare triplici possumus lumine: 1o. vel solius rationis per philosophiam — animal rationale speculantem; 2o. vel solius revelationis per theologiam positivam — imaginem Dei vivam spectantem; 3o. vel denique utriusque simul composito per theologiam scholasticam. Quo aspectu composito nos considerabimus hominem.

Subjicitur homo considerationi aut ut existit aut ut operatur. Quodsi secundum esse—potest sumi in esse specifico et individuali. Esse specificum dicit eum creaturam rationalem, cui nunc studebimus.

1. De homine in esse specifico.

Homo est altissimum universalissimumque ens scientiae humanae, quia simul habet perfectiones substantiae spiritualis et corporalis, quod s. Thomas: est, inquit, homo *„horizon et confinium corporeorum et incorporeorum"*[1]). In suo esse comprehendit tantum quaecunque cadunt in definitionem speciei, qua recte definitur: creatura rationalis.

---

[1]) *Contra Gent.* l. II, c. 68; cf. *Sum. theol.* p. I, qu. 91, a. 1; qu. 96, a. 2; I. II, qu. 17, a. 8 ad 2.

Dicitur c r e a t u r a, non natura et ut agens solummodo propria virtute atque definitur tamquam animal rationale. Creatura dicit plus, quia indicat relationem ad Creatorem a quo habet esse passive acceptum. Et quia homo non est considerandus in abstracto, sed quatenus exivit a Deo praemovente, totum suum esse accipit a Trinitate[1]).

Attamen creaturae ratio praeter elementum passivum alterum involvit activum, quod passivum perficiat actibus, quorum homo dominus, deliberatis. Hoc sensu creaturae attribuuntur vires naturales supernaturalesque quibus moveatur in Deum.

Praeterea dicitur homo creatura r a t i o n a l i s non intellectualis, quia modus ejus cognoscendi perficitur per motus discurrendo, componendo, dividendo et abstrahendo a sensibus.

In 1a. parte Summae theol. s. Doctor quaerens, quinam sit actus homini proprius, respondet: intelligere [2]). Homo propter esse passive acceptum a Deo vere definitur creatura intellectualis perficiturque ut ens, non autem ut operans. Et quia hominem speculamur ceu creaturam passive et active sumptam, juste dicimus eum a ratione habere, ut sit homo [3]).

Neque praetereundum differre hominem ethicae subjectum ab illo theologiae. Ethica siquidem considerat hominem ut sui juris, theologia vero ut terminum creantis Dei: 1o. quatenus recepit esse a Deo; 2o. quatenus est imago viva Dei adeoque trifariam.

Primo, quatenus homo aptus naturaliter est intelligendo amandoque Deo mente. Secundo, quatenus Deum cognoscit amatque per gratiam et charitatem actu vel habitu, quamquam imperfecte. Tertio, quatenus Deum actu cognoscit lumine gloriae amatque charitate patriae.

Primus imaginis modus omnibus hominibus vi creationis atque naturae convenit. Secundus—justis competit vi recreationis

---

[1]) *Sum. theol.* I, qu. 45, a. 6 ad 3, ibid. a. 5. a. 6. „Patri attribuitur et appropriatur potentia, quae maxime manifestatur in creatione, et ideo attribuitur Patri creatorem esse. Filio autem appropriatur sapientia, per quam agens per intellectum operatur . . . Spiritui Sancto autem appropriatur bonitas ad quam pertinet gubernatio deducens res in debitos fines et vivificatio".

[2]) *Sum. theol.* I, qu. 85, a. 3 ad 4; a. 5 ad 3; II, II, qu. 155, a. 1 ad 3; III, qu. 19, a. 2; cf. I, qu. 75, a. 4 ad 1; II. II, q. 25. a. 7.

[3]) *Ibid.* I. II, qu. 31. a. 7; qu. 110. a. 4 ad 3 et 4.; II. II, qu. 179. ar. 1 ad 2.

et gratiae. Tertius—beatis vi gloriae et perfectae similitudinis [1].

Addimus plenitudinis gratia hominem naturaliter esse politicum vel socialem. Nam tot eum Creator facultatibus donavit talibusque, societatem quae flagitent imperiose, ut extra socialem vitam nec perfici nec finem ultimum attingere valeat [2].

Superest demum considerandi modus hominem concretum, individuum, personam — atque obiciuntur tria: 1o. principium individuationis in genere; 2o. principium individuationis in homine persona; 3o. relationes individui ad speciem, ad societatem, ad ipsum Deum.

2. *De homine in esse individuali.*

In medias hujus quaestionis res progressuri in quo de charactere deque corporum constitutione doctrina Sti Thomae nitatur memoremus paucis.

Principia corporum.

Corpora duobus constant principiis: uno materiali vel materia prima; immateriali altero vel forma substantiali.

Materia prima respectu formae prorsus est indeterminata; „neque quid, id est, neque substantia, neque qualitas, neque aliquid aliorum generum, quibus ens dividitur vel determinatur" [3]) estque substratum suscipiens formam substantialem.

Forma substantialis vere respectu materiae est actus substantialis primus determinans eam in esse atque in tali esse

---

1) *Ibid.* I, qu. 93, a. 1, a. 4, a. 6 et a. 7.

2) „Cum ergo homini datus est sermo a natura, et sermo ordinetur ad hoc quod homines sibi invicem communicent in utili et nocivo, justo et injusto et aliis hujusmodi, sequitur (ex quo natura nihil frustra facit) quod naturaliter homines in his sibi communicent: sed communicatio in istis facit domum et civitatem. Igitur homo est naturaliter animal domesticum et civile". Item „Si quis homo habeat quod non sit civilis propter naturam, aut nequam est, utpo te cum hoc contingit ex corruptione natūrae humanae, aut est melior quam homo in quantum scilicet habet naturam perfectiorem aliis hominibus communiter ita quod per se sibi sufficere possit absque hominum societate". I, libr. *Politic.* lect. I; cf. De regimnie princ. c. I; *Sum.* theol. I, qu. 96. a. 4; I. II, qu. 9, a. 2; II. II, q. 109, a. 3 ad 1. et qu. 114, a. 2 ad 1; III, qu. 69, a. 1; *Contra Gent.* l. III, c. 117.

3) *S. Th.* in Com. Metaph. VII, 1, 2; cf. opusc. de princ. naturae. De pot. qu. 3, art. 8; Quodl. 3, qu. 1, art. 1.

specifico; unde se habet ad materiam sicut actus ad potentiam.

Utrumque principium est quidem substantiale, at neutrum per se valet existere. Conjunguntur autem in unum esse substantiale completum non mediante aliquo modo sed immediate semetipsis formaliter, in quantum subsunt actioni jungenti a causa efficiente profectae[1]).

Status quaestionis de individuatione.

Jamvero substantias materia formaque compositas videmus convenire quidem specie, numero autem differre, ut tota integraque speciei ratio resideat in singulis, quin istis multiplicatis multiplicetur et species[2]).

Hoc individuationis aenigma perobscurum, multis insolubile visum, philosophos maxime dividit.

Quid individuum?-Definitio.

Individuum definitur a Sto Thoma: „*Quod est in se indivisum et divisum a quolibet alio*"[3]). Ergo intellegendum est:

1) „quod non dividitur ulterius nec formali nec materiali differentia"[4]) adeoque unitas individualis est absoluta simpliciter.

2. Divisum a quolibet alio, eo nempe, quo individuum est indivisum unumque, suis ab extremis partes, quae cum aliis componi possint, excludens.

3) Et quia habet esse unum, ut et sit in semetipso et distinguatur ab aliis, est incommunicabile[5]). Quod dupliciter:

a) excludendo communicationem sui esse — perfectissimum individuum;

b) quamvis ipsum non possit communicari aliis, tamen communicatur in aliquo.

Principium itaque individuationis est id, quo individuum hinc individuum in se vel ulterius indivisibile, inde a ceteris ejusdem speciei individuis distinctum, quo individua intrinsecus

---

[1]) *S. theol.* I, qu. 76, art. 7. Conf. Metaph. VIII, lect. 5. Quaestiones disputatae de anima 8. II Contra Gentil, c. 70. De veritate qu. 13, art 4 ad 4 um.

[2]) De principio individuationis in genere vide qu. IX de pot. art. I; X Metaph. lect. III in fine; in Boet. de Trinitate, qu. 4, art. 2; de ente et essentia c. II; Opusc. de principio individuationis; Opusc. De natura materiae. c. III; Quodlib. II, qu. 2. art. 4.

[3]) Summa theol. 1, q. 29, a. 4.

[4]) *S. Thom.* In X Metaph. lect. 2.

[5]) Opusc. de princip. individ. circa finem; qu. II de Veritate art. 6 ad 1um.; qu. X, art. 5, corp.; In V Metaph., lect. XV med.

et substantialiter ab invicem discriminantur. Idemque erui potest ex elementis constitutivis et propriis ipsius naturae vel ex aliquo extra conceptum naturae et quidditatis.

Referuntur sententiae.

Opiniones hoc de problemate plurimae juxta Joannem a S^to^ Thoma reduci possunt ad quatuor[1]).

Prima individuationem ex propria eruit entitate. Sic Aureolus, Durandus, Gregorius Ariminiensis, Gabriel Biel ceterique. Nominales quibus adhaerent Suarez pluresque recentiores, ut Rosmini, Gioberti. Secunda eademque Scoti ex elemento extrinsecus adveniente naturae. Opinatur Doctor subtilis natura individuari haecceitate, quae nec materia, nec forma, nec compositum sit, sed modus omnium, seu ultima realitas materiae, formae compositique quasi extrinsecus adveniens naturae atque efficiens ut haecce in partes subjectivas dividi nequeat. Tertia eorum, qui principium individuationis promunt ex forma substantiali, ut Avicenna, Averroes, Zabarella. Quarta demum eorum, qui principium individuationis volunt esse materiam signatam quantitate: hi sunt Thomistae.

Praenotanda.

Materia signata, i. e. distincta seu divisa quantitate est ipsa materia prima, ut praehabens hanç potius germinis instar, quam aliam quantitatem, vel hujus potius quam alterius capax quantitatis. Materia signata ergo dicit in recto ipsam materiam, in obliquo quantitatem quam connotat. Quod sic intelligendum: materia individuatur intrinsecus connotatione talis quantitatis, extrinsecus ipsa quantitate connotata. Per materiam sic individuatam individuatur forma, tota rei entitas a qua immediate profluit differentia individualis[2]).

Signatione materiae sic explicata, ipsa quantitas non est principium individuationis verum conditio tantum requisita, ut materia individuari possit atque germen quo individualis germinat differentia.

Non insistentes in individuatione accidentium, quia substantia cui insunt, nec substantiarum spiritualium, quae a suamet

---

[1]) *Philos. Nat.* II p. qu. 9, art. 4, De subjecto accidentium.

[2]) *Aristoteles,* V Metaph. c. 6 „Materia enim secundum quod stat sub dimensionibus signatis, est principium individuationis formae.“—*St. Th.* loco citato lect. 8, cf. X Metaph. lect. 9; XII, lect. 8.

natura individuantur, probamus thesin: Substantiae corporales individuantur per materiam signatam quantitate.

Probatur remotione.

Probatur minor: 1o. Non potest esse forma sola, quia de ratione formae, utpote principii communitatis, est pluribus inesse posse; pariter forma dicit habitudinem ad materiam, cui inhaeret; denique forma est principium speciei.

Atqui de ratione individui est indivisibile distinctumque esse a quocunqne individuo, itemque primum subjectum esse atque a specie maxime distinctum.—Ergo.

2o. Neque materia sola, quippe quae in se indistincta pluribusque ineundo communis est; ens pariter potentiale, dum principium individuationis id est, quod eam determinat ultimo. Ergo.

3o. Neque materia ut subjectum formae quia hoc modo esset principium communitatis et determinationis secundum genus. Atqui individuatio contrahit genus per speciem ad esse individui.

4o Neque compositum solum, cum hocce sit natura specifica, quae pluribus inese possit. v. gr. humanitas.

Sequitur inde aliud quid debere principium esse individuationis, actum in genere substantiae principiumque divisionis.

Hoc aliud autem est quantitas cum materia, quia quantitas essentialis est actus, cui proprium est partes determinare, constituere in se distinctas, ab aliis dividere.

Probatur thesis.

Principium individuationis substantiae esto: 1o. id, quod hanc materiam et hanc formam cum notis individuantibus a ceteris ejusdem speciei individuis dividit. 2o. aliquid substantiale. 3o. prima substantia tamquam divisionis terminus ultimus. 4o. primum subjectum in alio subsistens nullo.

Atqui sola materia prima signataque quantitate quatuor haec est. Ergo.

Probatur Minor. 1um cum 3o per se patent. 2um sic: individua quamquam ex accidentibus cognoscimus, nihilominus, quia substantialia, substantialiter, ut substantiae omnino diversae, distinguuntur. Caeterum accidens advenit substantiae suae inhaesionis subjecto ab eodemque individuandum supponens illam jam individuam.

4um. Sola substantia prima, in qua substantia secunda,

ens natura compositum, substat, potest esse vehiculum substrato non indigens. Minor. Atqui neque materia prima sola, neque forma sola, neque materia ut subjectum, neque compositum solum sufficiunt principio individuationis constitudendo.

Ergo materia quantitate signata[1]). Attamen nec sola quantitas, quippe quae accidens tantum, abest, ut possit determinare substantiam, ut potius ipsa determinetur a substantia.

Ergo debet esse materia cum quantitate[2]) indeterminata, quia dimensiones terminatae non a semet sed a substantia determinantur; variantur praeterea in eodem subjecto, quin individuum mutetur v. gr. homo per varias aetates. Tandem est consequens principii individuationis, non ipsum principium.

Applicatur doctrina individuationis animae humanae[3]).

Status quaestionis.

Quaeritur nunc quid sit individuationis in homine principium seu quare hic homo sit hic hac anima, hoc corpore, his qualitatibus notisque individualibus notatus?

Oboritur hic difficultas inexstricabilis, specie saltem.

In omni materia prima formaque substantiali composito, forma intrat in materiam, quae una cum quantitate illam determinat et individuat.

Atqui anima humana, quia spiritualis, a materia nec ut effectus pendere nec ab ipsa ullo modo determinari potest.

Principia solutionis.

Solutionem quaestionis claram haec insinuant principia: Anima humana tum completa ratione substantialitatis, tum incompleta ratione speciei seu essentialiter spiritualis et essentialiter forma corporis humani.

---

[1]) In Boet. de Trinitate q. 4, a. 2 ad 4. „Nec invenitur alia ratio, quare haec materia sit divisa ab illa, nisi propter quantitatem"…. cfr. ad 3, ad 5 et corp.

[2]) In I Phis. text. comm. 15; Contra Gent. IV, cap. 65. „Et quia sola quantitas dimensiva de sui ratione habet, unde multipilicatio individuorum in eadem specie possit accedere, prima radix hujusmodi multiplicationis esse videtur".

[3]) Praeter opera citata, vide quaes. III de Pot., art. 10; Contra Gent. II, cap. 75.

Substantiae qua talis proprium est esse, formae qua talis vero inesse.

Proinde anima humana, quatenus completa ratione substantialitatis est spiritualis adeoque neque in fieri, neque in esse quoad se suasque potentias pendet; sed quatenus incompleta ratione speciei postulat quoad omnia inesse in alio non ut causam materialem sui, sed in qua sit. En solutionis clavis!

Conclusio.

Principium individuationis animae humanae simpliciter seu quoad esse est haec anima humana cum ordine transcendentali ad hoc corpus; secundum quid, seu quoad inesse est hoc corpus organicum i. e. materia prima hujus corporis ut signata dimensionibus interminatis.

Consequentia patet.

Illud tantum potest esse principium simpliciter individuationis, quod est principium primi esse substantialiter. Jamvero impossibile est, ut corpus humanum sit principium primi esse substantialiter. Ergo.

Major patet ex thesi generali de principio individuationis substantiae.

Probatur Minor. Principium esse et subjecti in individuatione est causa materialis, ex qua fit. Jamvero anima humana caret hujusmodi causa estque completa in se.

Corpus tamen est principium individuationis animae secundum quid. Ratio seu causa determinans, quare principium τὸ esse conveniat tali supposito, est, ut ita dicam, radix ejus individuationis.

Atqui ratio quare anima insit corpori detque eidem esse est corpus, quia anima humana dum creatur infunditur, dum infunditur creatur; ratio quare anima sit individua, est quia fert secum commensurationem seu ordinem ad hoc corpus nec ad aliud.

Relatio individui ad speciem, ad societatem, ad Deum.

Soluta de hominis individuatione quaestio multas continet veritates, quae ulteriores considerationes nostras abunda luce collustrabunt. Eas nunc paululum exponemus.

Suppositum humanum neque corpus dici potest, nec ani-

ma, sed homo singularis cum notis individuatibus in natura corpore animaque composita subsistens. Atque sicut est unitas naturae ita suppositorum pariter. Suppositum enim est id, quod subsistit; jamvero neque corpus, neque anima incompleta in ratione speciei subsistunt.

Tamen hoc suppositum singulare in natura corpore animaque composita subsistens est simul individuum stricte dictum et persona imperfecta, quia individuum totam naturam speciei non contrahens tantumque participans est terminus divisionis vel particularis naturae eoque distinguitur ab angelis. At persona licet imperfecta est homo propter animam, quae, quamquam substantia completa, ratione speciei est incompleta, dum persona perfecta est subsistentia completa utpote non tantum substantia, sed et natura specifica. His positis declaratur relatio individui. Quoad speciem subordinatur eidem individuum in suis esse atque operari non tantum animali, sed etiam intellectuali, morali, religioso. Relatione illa diriguntur pars ad totum, particulare ad universale, medium ad finem adeoque sui juris dici non possunt. Quoad societatem individuum, quia pars societatis, ordinatur bono societatis perfectae communi suaque privata bona bono publico devovere tenetur, nam bonum proprium habet se ad commune ut pars ad totum, materia ad formam, potentia ad actum. Atqui perfectione non gaudet nisi pars in toto, materia in forma, actus in potentia. Ergo.

Jamvero individuum ut persona sui juris consideratum longe aliter se refert ad societatem. Secundum animam substantiam completam radicemque substantiae et personae jam non individuum ad societatem speciemve, sed versa vice societas refertur ad ipsum. Atque hoc principium recte rectum dirimit, quando societati homo, homini societas voveri debeant.

Individuum quia se totum Deo debet, totum quoque ordinatur ad Deum.[1]) Creatura vi potentialitatis ad esse homo ut individuum participat actum diciturque pars universi ideoque passive ordinatur ad gloriam Dei; imago Dei aptitudinaliter capaxque ejusdem active se movendo, ut principium suarum actionum ordinatur homo ad Deum virtualiter in hac vita, actualiter in gloria.

---

[1]) Summa theol. I, q. 45, a. 3 ad 1, 2, 3; q. 65, a.3; cfr. ibid. qu. 44; q. 45, a. 2 et I, II, q. 79, a. 2.

Item ut creatura rationalis anima constans et corpore homo subjicitur [1]) Deo principaliter per animam secundarie proprer interiores actus per corpus.

Etiam ut creatura socialis, pars adeoque societatis, cujus membra opera sunt infinitarum bonitatis, sapientiae, potentiae Dei homo pariter pendet a Deo, ita ut sive singulatim sive gregatim necessario ad suum ordinetur Creatorem.

3. De homine secundum operationem.

Consideratio hominis in esse debet compleri ejusdem considaratione ir operatio; primum enim principium essendi est forma, cujus effectus duplex: prior quidem τὸ esse quum omnis res esse habeat secundum formam—alter τὸ operari, quum omnis agens per suam agat formam. Unde, cognita forma hominis in esse, quae ipsa est anima quatenus intellectiva, patet operatio ejusdem, quia operari sequitur esse. Anima tamen nostra infimum immaterialitatis atque intellectualitatis occupans gradum totam suae operationis perfectionem exserere nequit absque adminiculo sensibilium; unde tota hominis operantis perfectio in voluntate deliberata sita est.

Voluntas deliberata dicit effectum rationis deliberantis, vi cujus inclinatur ad actus ponendos, quos proprie humanos vocans definit Stus Thomas: *ex voluntate deliberata procedentes*„[2]) In agente per intellectum et voluntatem distinguuntur intentio ejusdemque terminus. Illa vult agens consequi hunc, nimirum rem intentam seu finem, scopumve. Unde finis dicendus est causa inclinans movensque ad actum, ita ut primus intentione ultimus fiat exsecutione. Actus, quibus finem prosequitur agens bini sunt distinguendi: interiores exterioresque.

Praemittendum statim hoc: „Quando multi actus specie differentes ordinantur ad unum finem, est quidem diversitas speciei ex parte exteriorum actuum, sed unitas speciei ex parte actus interioris“[3]).

Actus interiores illi, qui voluntate oriuntur, ut nec po-

---

1) Summe theol. II, II, q. 81, a. 7 et q. 82, q. 85, a. 2.

2) Summa theol. I, II, q. 1. a. 1 ad 1.

3) Ibidem qu. 18, a. 6 ad 3.

tentia ulla nec alius voluntatis actus intercedant, v. gr. velle amare.

Exteriores autem illi, quos alicujus facultatis medio voluntas elicit ponitque imperando interdum — actus imperatos. Orditur actibus elicitis intentio, imperatis executio.

Sed intellectus actus et voluntatis huicceque subditarum potentiarum ipsi, quibus integretur actus deliberatus, quomodo concurrant, en schema[1]. Quum moveant intellectus ad specificationem, voluntas ad exercitium, quidquid specificationis per modum directionis intellectum spectat, quidquid exercitii per modum executionis vel intellectu vel aliis potentiis voluntatem. Naturaliter voluntas inclinatur in bonum intellectu apprehensum, cui respondet in voluntate complacentis bono praesentato. Complacentiae vi voluntas consulit intellectum, num bonum objectum adeptu possibile sit expediatve.

Annuens intellectus determinat voluntatem ad bonum mediis assequendum. His actibus perficitur ordo intentionis circa finem, „Voluntas autem movetur et in finem et in ea, quae sunt ad finem" [2].

Quaecunque ad finem locum tenent mediorum, iis incipit executio. Intellectus est sententiam de mediis ferre, ad quam triplici procedit gradu, scilicet: 1) investigatione mediorum, 2) ponderatione utilitatis inventorum, 3) judicio, num et quaenam acceptanda sint. Intellectui arbitrato respondet voluntas consensu et electione. Electioni voluntatis respondet denuo intellectus imperio, cui iterum voluntas obedit actu, quo applicat potentias exsecutivas ad utendum mediis. Hanc activam applicationem comitantur potentiae voluntati subditae usuque passivo motae apprehendentes media, quorum ope obtinetur jucunda possessio finis et delectatio ex fine seu fruitio.

Homo ergo in suo esse operationis ordinatur ad actus, qui procedunt ex deliberata voluntate suntque ei proprii secundum esse specificum, quatenus creaturae rationali.

B. DE HOMINE THEOLOGICE CONSIDERATO.

Hominem considerare theologice possumus vel in statu naturae integrae et gratiae vel in statu naturae lapsae.

---

1) Summa theol. I. II, qu. 8-18.

2) Ibidem qu. 8 proemium.

Notio status naturae integrae et gratiae.

Status innocentiae seu originalis justitiae fuit accidens per modum habitus constitutivi inhaerens essentiae animae, principio creationis supernaturaliter et gratuito a Deo collatum naturae humanae via generationis propagandum, tamquam dispositio simul et effectus gratiae sanctificantis, tollens ab ea defectus naturales involvebatque triplicem subjectionem religiosam—mentis Deo, moralem—virium inferiorum rationi, physicam—corporis animae[1]).

Primum hominem fuisse constitutum in statu originalis justitiae, est dogma fidei, ut patet ex definitione concilii Tridentini, sess. 5a. Decret. de pec. orig. can. 1⁰., quae affirmat: primum hominem habuisse sanctitatem et justitiam, antequam primo peccato mandata Dei in paradiso transgressus fuerit; et fuisse proinde constitutum in sanctitatis et justitiae statu, quem postea, transgrediendo Dei mandatum, amisit.

Proprietates hujusmodi status.

In illo statu ratio parebat Deo, rationi vero inferiores vires, animae corpus, ita ut prima subjectio efficeret et secundam et tertiam.

Subordinatio religiosa.

Prima subjectio, qua ratio Deo subdebatur, non erat virtute naturae, sed supernaturali dono gratiae. Per gratiam enim sanctificanten Adam erat rectus, justus, Deo similis et gratus, filius Dei adoptivus, haeres regni coelorum, consors divinae naturae, quae omnia dona, intrinsecus connexa cum gratia sanctificante, necessario subjiciebant animam Deo; at sine illa perseverare nequibant.

Alia dona, ut immunitas a concupiscentia, immortalitas corporis, impassibilitas animae et corporis, praeclara rerum notitia, mens omnis erroris libera, voluntatis perfecta rectitudo a venialibus etiam peccatis exempta, ita externa Dei ordinatione gratiae sanctificanti connectebantur, ut ea manente ipsa manerent, amissa amitterentur.

Ergo justitia originalis fundebatur in gratia sanctificante atque duravit, donec homo obedivit Deo. Deum autem voluisse

---

[1]) Sum theol. I, qq. 94-101. De productione hominis quoad statum et ejus conditionem.

hanc subjectionem patet ex Gen. II, 17. Hoc praeceptum animam et superiores potentias — intellectum et voluntatem ligabat. Quod observatum servabat in homine gratiam sanctificantem cum omnibus donis justitiae orginalis; transgressum abstulit. Dicit Augustinus, De Civit Dei. lib. 13, cap. 13, quod, postquam praecepti facta transgressio est, confestim, gratia deserente divina, de corporum suorum nuditate confusi sunt. Senserunt enim motum inobedientis carnis suae, tamquam reciprocam poenam inobedientiae suae.

Optime ergo dixit s. Thomas. *„Rectitudo justitiae originalis erat secundum hoc, quod ratio subdebatur Deo"*[1]). *Subordinatio moralis.*

In statu innocentiae, Adamus arbiter fuit perfectissime suae voluntatis, ut libere posset eligere.

Rebellio appetitus sensitivi nulla in statu originalis iustitiae[2]).

Quam ob rem omnes vires consonabant inter se. Secundum Augustinum inveniebatur „summa in carne sanitas, in anima tota tranquillitas"[3]).

Dicenda sunt pauca de concupiscentia. Omnes non ab eodem derivantur principio specifico passiones, quamquam omnibus objectum nimirum bonum sensu apprehensum et animali conveniens-idem. Inclinamur enim tam consequutum utilia, grateque quam fugitum noxia noxiorumque causas, itemque obstacula eversum. Unde animae sensitivae appetitus duo: concupiscibilis et irascibilis. Hic concupiscentiam intelligo motus appetitus sensitivi, aut pellicientis ad malum aut arcentis bono, rationis imperio praeveniendo vel resistendo. Exemptio ab istis motibus vocatur donum immunitatis a concupiscentia.

Absentia omnis mali, praesentia omnis boni, en status

---

1) Sum. Theol. I, q. 95, a. 1, a. 3.

2) Sum. theol. I, II. q. 98, a. 3. En testimonium s. Thomae: „Quod in nobis insurgatsubitus motus sensualitatis, contingit ex hoc quod sensualitas non est omnino subdita rationi; quod vero insurgat subitus motus in ratione ipsa provenit in nobis ex hoc quod ipsa executio actus rationis non subditur rationi... In statu autem innocentiae, erat infallibilis ordinis firmitas et semper inferius continetur sub superiori, quamdiu summum hominis continetur sub Deo; et ideo oportebat quod inordinatio in homine non esset, nisi inciperet ab hoc quod summum hominis non subderetur Deo".

3) De Civ. Dei, lib. 14, cap. 26.

innocentiae. Innocentia haec secum in protoparentibus ferebat rectam rationem in verum, rectam voluntatem in bonum, rectum appetitum utrique obedientem prompte.

Subordinatio physica.

Compositum humanum Adami, etsi creatum in statu justitiae originalis, essentialiter a nobis non differebat. Sicut et nos, primus homo fuit creatura rationalis composita ex corpore et anima substantialiter unitis. Istam unionem substantialem corporis et animae consequuntur diversissimi generis oparationes subordinatae quas homo exsequitur. Istae vero operationes ordinatae et permanentes constituunt stabilem ordinem harmonicum qui ad evolutionem vitae rationalis conducit.

Possibilitas vitae normalis in organismo oritur ex conservatione et integritate organorum.

Sanitas organismi et ejus partium differentium ad actiones legitimas vitae sensitivae disponit; sensus vero viam parant ad procursum vitae rationalis—omnia enim ab infimis functionibus vitae usque ad summas, intime connexa sunt.

In unione substantiali cum corpore anima rationalis invenit conditiones naturales ad existendum et operandum. Quia objectum formale intellectus humani non est mere spirituale, sed abstractum, anima indiget sensibus et corpore, ut ideas acquirere possit. Unde operationes etiam nobilissimae animae indigent corpore.[1])

Si autem pro anima humana status unionis cum corpore est optimus, utpote talis, in quo ipsa optime suas facultates naturales nata est expendere, ideo etiam corpus illud oportet correspondere exigentiis animae et contribuere ad spontaneum exercitium facultatum ejus.

Activitas intellectualis animae dependet a dispositionibus anatomicis et physiologicis systematis nervei ea conditione, ut id quod affectionem excitat afficiat simul et mentem, exinde morbi tam intellectus, quam voluntatis in intima connexione cum organis seu systemate nerveo et sanguine inveniuntur i. e. cum corpore.

Ista principia necessario exiguntur, ut subordinationem

---

[1]) *Cajetan.* in Sum. Theol. 1, q. 76, a. 1: „Anima... acquirit perfectionem in sui conjunctione ad corpus... ideo mirum non est, si perfectiorem statum habet *in* composito, quam extra."

corporis ad animam in statu justitiae originalis admittere ac intelligere possimus. In isto statū Adamus fuit beatus atque delectationi obnoxius. Delectatio autem nil aliud est, quam resultantia alicujus actionis perfectae, i. e. talis actionis seu operationis, in qua potentia eam producens agit cum tali vigore, qui capacitati ejus possibilis est [1]). Itaque anima primi hominis non potuit esse plene satiata, nisi hac conditione servata, quod habeat corpus, cujus organismus perfectus in tota plenitudine certam redderet explicationem omnium facultatum i. e. operationem constanter perfectam.

Perfectio autem operationum animae juxta principia supra allata exigit corpus perfectum.

Ideoque S. Thomas posita quaestione: „Utrum corpus hominis habuerit convenientem dispositionem" 1, Q. 91, a. 3, respondet affirmative atque affirmationis suae adducit rationem, ex eo, quod finis proximus humani corporis est anima rationalis et operationes ipsius.

Corpus talis naturae organismum et dispositionem habere debet, ut totaliter indigentiis animae facultatumque ejus evolutioni adservire possit.

Anima est forma corporis; corpus igitur est propter animam et vice versa.[2])

Tamen non sufficiebat, ut sit corpus perfectum, flexibile, exigentiis animae totaliter subordinatum, praeterea oportebat illud impassibile et immortale esse.[3]).

Corpus fuerat impassibile evidenter non virtute sui proprii vigoris, sed per communicationem supernaturalem alicujus fortitudinis in anima, vi cujus haec ultima corpus suum ab omni dolore, ab omnibus tormentis et languoribus praeservare potuerat.

Praeterea oportet dicere virtutem animae fuisse talis natu-

---

[1]) *S. Thomas*. Comment. in Arist. Ethic., Lib. X, lect. 6. "Ubicumque invenitur in aliquo cognoscente operatio perfecta, ibi etiam invenitur operatio delectabilis... Delectatio est operationis perfectio."

[2]) Quod *S. Thomas* ibidem ita exprimit: "Finis (autem) proximus humani corporis est anima rationalis et operationes ipsius. Materia enim est propter formam et instrumenta propter actiones agentis. Dico ergo quod Deus instituit corpus humanum in optima dispositione secundum convenietiam ad talem formam et ad tales operationes."

[3]) Ibid. qu. 97, a. 1. 2,

rae, ut sua operatione corpus etiam immortale redderetur.

Anima itaque tendebat ad conservationem sui corporis ac consequenter ad immortalitatem, quia cognosens capacitatem suam ad perfectionem ac simul defectum possessionis ejus, totaliter in se satiata esse nequiret; quae absentia felicitatis ac gaudii in statu justitiae originalis intelligi nullo modo potest. Sub hoc respectu testimonium Genesis omnino clarum est. Corpus igitur humanum debuit esse immortale, ut omnia desideria animae satiata esse possent. Nam etsi ex natura sua mortale est, sed anima per virtutem supernaturali modo sibi communicatam ab omni corruptione illud praeservare potuit[1]).

Omnia haec subordinationem perfectam corporis ad animam demonstrant.

Igitur in statu justitiae originalis corpus subdebatur animae hunc in modum, ut anima per donum supernaturale gratuitum corpus ditaverit sua perfectione, impassibilitate ac immortalitate.

Sua perfectione: de facto anima, cum sit forma substantialis corporis unica, necessario postulabat corpus perfectum, bene dispositum, ut illud sua perfectione modo naturali ad perfectiones animae evolvendas concurreret. Materia quae est corpus, proportionaliter disposita est ad formam, quae est anima; anima itaque perfecta habuit corpus perfectum.

Impassibilitate: anima naturaliter desiderat per omnes suas facultates diffundi; ut igitur in hoc nullum impedimentum vel cunctationem pateretur, desiderabat etiam habere corpus sine tormentis passionum sanitate constanti ac perfecta ditatum. Atque Deus ita disposuit, ut anima omnem dolorem impedire potuerit: „Poterat enim passionem prohibere“ dicit s. Thomas[2]).

Immortalitate: denique scimus optimam conditionem animae humanae consistere in unione cum corpore, utpote talem in qua maxime suas facultates nata est evolvere, ideoque animae naturali modo unionem cum corpore perpetuam desi-

---

1) Sum. Theol. I, 97, a. 1. in corp. „Non enim corpus ejus erat indissolubile per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem; sed inerat animae, vis quaedam supernaturaliter divinitus data, per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservare, quamdiu ipsa Deo subjecta mansisset“.

2) I, Q. 97, a. 2 ad finem.

derare oportebat. Deus autem ex sua parte animam tali vigore dotavit, ut virtutem ad dissolutionem corporis impediendam possideret.

„Inerat animae vis.... per quam poterat corpus ab omni corruptione praeservare...“[1]).

Omnia allata verbis s. Thomae breviter repetuntur.„ *Erat enim haec rectitudo secundum hoc quod ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animae corpus. Prima autem subjectio erat causa et secundae et tertiae*„[2]).

CAPUT I.

ELEMENTA CHARACTERIS.

A. In se considerata.

De charactere doctrina jam ab anitiquis, magis autem a coaevis auctoribus, qui ethologiam[3]) appellarunt eam, multum exagitata nondum absoluta est.

Praeter principia hujus doctrinae generalia et consequentias proximas, plures quaestiones intime cum charactere connexae amplum praestant campum.

Ceteros auctores minime tangendo Doctoris Angelici doctrinae vacabimus elementa characteris nostra quoque aetate valentia continenti[4]).

---

[1]) I, Q. 97, a. 1. [2]) I, Q. 95, a. 1. in corp.

[3]) *St. Mill.* Système de logique inductive et déductive, trad. de L. Peisse, t. II, livre VI, chap. V: de l' Ethologie Paris, Félix Alcan. Ibi ita incipit novo nomine scientiam: „Je proposerais de donner le nom d' Ethologie, du mos ἔτος qui est de tous les termes de la langue grecque celui qui correspond le plus exactement au mot „caractère“, — à la science qui déterminera le genre de caractère produit conformément aux lois générales de l'esprit par un ensemble quelconque de circonstances, physiques et morales.......

[4]) Emdedoclės, Hippocrates, Galenus. Aristoteles, Páracelsus, Plattner, Haller, Heinroth, St. Mill, Alex Bain, Kant, Dr. G. Le Bon, Th. Ribot, Bernard Pérez, J. Bahnsen, Dr. Bourdet, Fr. Paulhan, A. Fouillé, F. Queyrat, Alb. Levy, Dr. Azam, Martin, Courtney, P. Malapert, W. Stern, Payot, Mario Pilo, G. Sergi, Thamin, La Scola, Tarozzi, Foerster, Gillet, Muszynski, Guibert etc..

Principaliora auctorum opera citantur in fine dissertationis.

Inter elementa characteris s. Thomas numerat complexionem et temperamentum. Utriusque antequam ad definiendam naturam characteris accedamus inquirenda est notio certe, quibusdam claritatis gratia praenotatis:

1°. Omnes homines praeter elementa communia sui esse et activitatis possident notas individuantes, quibus distinguuntur in ordine essendi, operandi non tantum accidentaliter sed essentialiter.

In ordine essendi ratione corporis in concreto animae humanae essentialiter distinguuntur. Hoc sequitur ex individuatione in quantum corpus est principium individuationis secundum quid.

In ordine operandi secundum vitam vegetativam perficitur differentia varietate augmenti sive nutritione sive generatione, unde recentes auctores hauriunt divisiones temperamentorum[1]). In vita sensitiva, quatenus perfectiones reactionesque promptius lentiusve producuntur. In vita intellectuali praevalet speculatio vel actio; in vita morali hominis dispescuntur moribus, consuetudinibus, institutis[2]).

2°. Afficiunt se mutuo notae individuantes corporis animaeque in composito humano. Animam inter et corpus viget ille influxus qui materiam inter et formam. Porro influunt materiae et formae proxima mutuaque propriae entitatis communicatione. Igitur anima et corpus invicem communicant propriam realitatem, ita ut anima corpusque suis facultatibus in alterutrum illa superioribus hoc inferioribus redundent[3]) Hos mutuos influxus multi denegant vel in animam corpori — vel, vice versa, in corpus animae — soli animae litant ultraspiritualistae, pantheistae, anthropomorphistae; soli corpori — materialistae, evolutionistae, criminalistae iidemque asseclae Lombroso.

---

[1]) *Alf, Fouillé*. Tempérament et caractère selon les individus les sexes et les races. Paris, Alcan, 1901 p. 8, 9. „..Nous devons considérer le rapport mutuel de l'intégration et de la désintégration dans l'organisme en général et dans le système nerveux en particulier. Nous aurons ainsi des tempéraments d'é p a r g n e et des tempéraments d e d é p e n s, les uns en prédominance d'intégration, les autres en prédominances de dèsintégration".

[2])*Casimire Proczek*. La psychologie de l'adolescente. Lausanne, Imprimerie Centrale 1918² p. 132. „Le tempérament moral des femmes présente deux grands types opposés. . le tempérament profond ou fort. L'autre.. le tempérament léger ou faible. Entre ces deux extrêmes il y a des formes intermediaires: c'est le tempérament moyen, ni trop profond, ni trop léger.

[3]) Qq. Disp. q. 26, de Veritate, art. 10.

Alii profitentur mutuos influxus accidentales per causas jam externas jamque internas. Pertinent huc Leibnitzius cum theoria harmoniae praestabilitae, quasi monades corporis individuati jungantur monadibus animae individuatae a Deo; item Spinoza necnon Schopenhauer correlationes per se ratione causae communis superioris praedicantes per metaphysicam pantheisticam; denique cum theoria parallelismi psychologici — Fechner et Wundt.

Sunt tandem qui agnoscant animam et corpus alterum ab altero dependere modo intimo proximoque sive non directe dum anima, tamquam substantia communis redundat in corpus, sive directe dum animae corporisque potentiae alterae in alteras agunt. Animam corpusque ab invicem pendere modo intimo proximoque tam non directe quam directe docet St. Thomas Aquinas.

1. Notio complexionis.

Fundat S. Thomas doctrinam de complexione suam in hoc principio: quaecunque in corpore vivente variatio provocat variationem in anima ejusdemque afficit operationes.

Complexionem S. Thomas intelligit summam functionum vitalium (biologico-physiologicarum), in quibus latet temperamentorum diversitas [1]). Quamvis valde obscura complexionis natura, ut utar verbis P. Malapert: "Au point de vue physiolgique le mot de Tempérament ne signifie rien de précis, c' est un mot vague sous lequel nous cachons notre ignorance de chose" [2])... tamen distinguere inter complexionem et temperamentum, vel ut recentes auctores volunt inter temperamentum physicum —corporis et morale—animae jubet experientia [3]).

---

1) *S. Thomas* ex professo tractat de complexione: II Contr. Gent. cap. 63; in aliis locis obiter: Sum. Th. I, qu. 76. a. 5; I. II, qu. 46, a. 5 ad 1: cf. qu. 29, a. 3 cum qu. 51, a. 3; Com. Metaph. lib. III, d. 49, q. 3, a. 2. Q. D. de Anima, art. 8.

2) *Paulin Malapert,* Les éléments du caractère et leurs lois de combinaison. (Bibliothéque de philosophie contemporaine).
Paris, 2e. édit. Félix Alcan. 1906, p. 11.

3) Il faut distinguer la constitution proprement dite d'avec le tempérament. La constitution, ce sont les variations individuelles dans l'architecture et la charpente du corps, dans le volume et le poids, dans la proportion et l'adaptation des organes... Le tempérament, ce sont les variations individuelles dans l'organisme...... *Fouillé,* op. cit. p. 5-6.

Elementis doctrinae ab Auctore dispersae concinnatis de complexione, haec summa doctrinae definiri potest: habitus constitutivus naturalis i. e. qualitas media ex contrariis qualitatibus activis et passivis elementorum resultans, in humoribus radicalibus et organis omnium viventium, maxime vero animalium, specifice una pro singulis speciebus, a principio autem individuationis intra eandem speciem in individuis differens, immobiliter inhaerens et disponens illa tamquam elementum materiale ad primos motus passionum.

Theoria s. Thomae materialiter est eadem ac Galeni, formaliter tamen differt applicatione ad Aristotelicos conceptus cum propriis psychologicis modificationibus.

Theoria Galeni, qui Hippocratem perfecit, applicat principia cosmologico — physiologica corporibus viventibus. Itaque quatuor humores Hippocratis, nempe sanguis, pituita, bilis atra, bilis cuncti nati sanguine, quem rursum quatuor Empedoclis constituunt elementa nimirum: terra, aqua, ignis, aer, quibus quatuor qualitates primae humidum siccumque, calidum frigidumque insunt singulis binae: igni, calidum et siccum; terrae, siccum et frigidum; aquae, frigidum et humidum; aeri, humidum et calidum. Ita Galenus unam statuit complexionem temperatam, perfectam, quia aeque librantem elementa eorumque qualitates et quatuor simplices cum dominante uno elemento et quatuor mixtas cum dominantibus elementis duobus [1]).

Formaliter tamen s. Thomas rejicit doctrinam Galeni, quippe putantis animam nil aliud esse, quam complexionem [2])

Ut notio complexionis in sensu s. Thomae pateat, accedamus ad explicationem.

Quid S. Thomas de complexione putet, nunc quaerendum est.

Natura complexionis explicatur:

1o. Complexio dicitur habitus constitutivus seu entitativus naturalis i. e. qui disponit subjectum, ut bene vel

---

1) Cf. *P. Malapert.* Le caractère, Paris, Octave Doin 1902, p. 121-122.

2) „Deceptus autem fuisse videtur Galenus ex hoc quod non consideravit aliter passiones attribui compexioni et aliter animae. Complexioni namque attribuuntur sicut disponenti et quantum ad id quod est materiale in possionibus, sicut fervor sanguinis et hujusmodi; animae autem, tanquam principali causae, ex parte ejus quod est in passionibus formale, sicut in ira appetitus vindictae". Contr. Gent. libr. II, cap. 63.

male se habeat in seipso quoad esse suum [1]). Proprie igitur non est habitus, sed dispositio habitualis non inhaerens potentiis operativis, neque directe ordinans ad operationem et tantum organa inclinans ad bene vel male se habendum in seipso. Complexionis natura, ut recte notat Fouillé, exprimitur statico modo [2]), sed quia organa ordinantur ad operationem, ultimo media natura dynamicum eorum elementum apparet. Ita sanitas, robur, pulchritudo et alii habitus entitativi per modum primi motus inclinant snbjectum, ut sit sanum, robustum etc. quamquam per se immediate ordinantur ad constituendam naturam.

Habitus constitutivi nobis a natura generatione vel, ut recentes volunt, haereditate transmittuntur, proinde naturales dici possunt. Saepe auctores exaggerant partem haereditatis, ut ei characterem imputent imo etiam hunc immutabilem declarent; alii contra putant individua nasci indeterminatae naturae.

2⁰. Ex contrariis qualitatibus activis et passivis elementorum prodit; qualitas media, genus aliquod complexionis. S. Thomas generalem sui aevi de constitutione corporum viventium doctrinam profitetur supponitque quatuor esse elementa quibus corpora componuntur; hodie ultra septuaginta numerantur, eisdemque propriae attribuuntur qualitates, ut siccum, humidum, calidum, frigidum. Quatuorne sint an octoginta, talibusne an aliis qualitatibus distincta neque nostra aetate docti homines dirimere potuerunt. Merito possumus cum Mandsley repetere: „C'est un symbole représentant des quantités inconnues" [3]). Nihilominus absque saltu possumus progredi neglegendo partem materialem quaestionis, quia tam veteres quam recentes elementa admittunt quamvis variantes numerum.

Formali parte hujus quaestionis exponitur, quod omnia elementa aliqua gaudeant qualitate speciali, quod qualitates diversae imo contrariae tam augeri in eodem subjecto quam minui possint. Quomodo vero misceantur elementa, ut prodeat qualitas media complexionem constituens? Antequam responde-

---

1) Sum. theol. I. II, q. 51, ar. 3.

2) *A. Fouillé,* op. cit p. 6: „Elle (la constitution) est la caractéristique d' un individu.... Le tempérament... c' est la caractéristique dynamique „d' un individu".

3) Apud *P. Malapert,* Les élém. du car. p. 11.

amus breviter notanda sunt: quid corpus chimice simplex, quid compositum, quid mixtio sit.

Corpus chimice simplex elementum chimicum dicitur, quod non dissolvitur in alia sed in quod alia dissolvuntur: corpus chimice compositum est conjugium quoddam simplicium mixtione gemina: perfecta, ut oriatur corpus chimice compositum quodque definiri possit a s. Thoma: „Miscibilium alteratorum et corruptorum secundum formas unio imperfecta vel aggregatione, seu confusione plurium corporum propriam naturam retinentium“ [1]). Agitur de priore mixtione de qua observat Angelicus.

Primo elementa certis proportionibus afficiunt se qualitatibus contrariis crescendi decrescendique capacibus, unde prodit qualitas media. Secundo mixtum non prodit proprietates simplicium, a quibus differt specie omnino, unde qualitas media magis complexa ex pluribus aliis qualitatibus mediis vi mixtionis chimicae complexio vocata. Itaque complexio materialiter eadem atque qualitas media, formaliter vero in corpore organico mixtio modo magis complicato perficit complexionem.

3⁰. In humoribus radicalibus et organis omnium viventium maxime vere animalium specifice una pro singulis speciebus, a principio individuationis intra eandem in individuis differens complexio. Haec pars definitionis indicat differentiam specificam complexionis [2]).

Juxta Galenum et s. Thomam duplex humor radicalis distinguitur: alter nutritivus qui fit decoctione ciborum et transfunditur in sanguinem. In eo non residet complexio propter fluxum continuo variantem. Alter decoctione seminis et generatione varians per totum corpus diffusus ideoque sedes complexionis; proinde haereditarius, proprius corpori instrumentum operationum vitalium. Sola alteratione, quatenus corrupta una qualitate pedetentim introducitur alia, nostra complexio mutari potest.

In humore radicali specifice una pro singulis speciebus viventium residens est complexio typica. Cur autem variatur pro individuorum conditione patet ex doctrina de principio individuationis.

---

[1]) De generatione, lib. I, lect. 25.

[2]) Valde curiosum studium scripsit *D. Nicolas Seeland:* „Tempérament psychologique et anthropologique“, editio Congrès international d' Anthropologie, 1892, vol. II, ubi probat humorem generalem esse fundamentum temperamenti.

4°. Disponi illa tamquam elementum materiale ad primos motus passionum naturalium.

Qualitas media in corporibus organicis sustentat vitam vegetativam quae sua vice propter totius organismi unitatem sustentat vitam animalem atque per hanc vitam intellectualem. Primum ergo complexio dat specifice unum diversumque individualiter modum viventibus nutritionis quae est prima operatio vitae vegetativae.

Vita nutritiva perficitur manducatione, digestione, transformatione, distributione: „économie d'épargne et de dépense." Excessus nutritionis nocent temperamentis. Nutritio pariter dat corpori, quamdiu hoc crescit, incrementa; eadem conservat et reparat ex labore detrimenta.

Ultimo nutritur vivens ad generandum seu ad cellulas geminales e sua substantia producendas ex quibus a generantis organismo decisis, nova ejusdem speciei individua evolvuntur. Huic operationi Fouillé adscribit duplicem functionem, unde dividit temperamenta in masculinum et femininum [1]).

Vita vegetativa cum triplici operatione portat vitam sensitivam qua vivens percipit, patitur et movetur. Ita ut perceptio ordinetur ad passionem haecce ad motum. Passio ergo est centrum vitae animalis, cujus organum est tactus universalis seu systema nerveum. Hoc proditur omni actu reflexo nerveo.

Consequenter complexio materiam subministrat passionibus quae operantur varias operationes vegetativas. Nervi componuntur cellulis vegetativis, quae juxta diversas complexiones incitentur ad diversas emotiones, vel etiam propter intimam connexionem vitae vegetativae cum sensitiva evocent primos motus passionum. Passiones dicuntur naturales, ut distinguantur ab animalibus, quae tendunt in objectum repraesentatum perceptione

---

[1]) *A. Fouillé,* op. cit. p. 7.: „Enfin, la reproduction quoique surtout dépensière pout l' individu (qui donne une partie de sa vie pour qu'elle se développe hors de lui dans un autre être), implique cependant le concours d'opération dont les unes plus particulièrement une épargne et les autres plus particulièrement une dépense. Les premières... sont l'origine de l' élément féminin, les secondes, de l'élément masculin: les caractères sexuels, soit primitifs, soit secondaires, ne font qu'exprimer la tendance physiologique fondamentale, le tempérament propre qui différencie chaque sexe, commande sa structure et ses fonctions." Cf. ib. p. 209 et seq.

et ordinantur ad conservationem naturae humanae specificae vel individualis. Hisce videtur absolvi posse quaestio de complexione.

2. *Notio temperamenti.*

Ab elemento characteris ex parte corporis — complexione, progrediamur ad illud ex parte animae—temperamentum. Strictissimus nexus utriusque fundatur in mutuo influxu corporis et animae.

Ab anima gaudet homo illa complexionis aequalitate quae temperamentum specificum dicitur et circumscribi potest: aequilibrium perfectum omnium qualitatum corporalium in corpore organico speciatim in organis passionum sensuumque maxime vero tactus, quod aequaliter regat omnes perceptiones et indicia sensitiva, omnes passiones et virtutes imperfectas successive necessarias toti vitae[1]). En temperamentum omnibus numeris absolutum!

Probatur necessitas ejusdem.

Illa complexio necessaria homini, qua proxime disponatur ad proprios actus consentaneos naturae suae specificae. Atqui haec est complexio temperata. Ergo..

Probat. major. Actus consentanei naturae specificae humane sunt actus intellectus (sive universales sive particulares) et voluntatis. Atqui in his actibus homo necessario dependet objective a complexione tamquam a proxima dispositione. Ergo necessario homo habeat complexionem proportionatam actibus intellectus et voluntatis.

Actus intellectuales proprii homini sunt abstracti, actus morales ii sunt a voluntate deliberata, ad hujusmodi vero actus non potest disponi a sola anima. Ergo a complexione temperata. Anima enim in seipsa et in suis potentiis est simpliciter in potentia ad tales actus; atqui quod est in potentia ad actum ab alio moveatur oportet.

Minor. Ista dispositio potest esse tantum complexio temperata, quia omnes actus intellectuales et morales propria sua natura sunt universales, indifferentes et indeterminati ad particulares.

---

[1]) Sum. Theol. 1, qu. 76, a. 5; qu. 91, a. 3; I. II, qu. 46, a. 5; Q. D. de Anima a. 8; De malo qu. 5, a. 5.

Atqui impossibile est, ut complexio inaequalis determinata ad unum disponat ad actus universales, indifferentes, indeterminatos. Ergo.

Minor. Complexio animalis differt a complexione hominis eo quod animal habet determinatam operationem ab ipsa generatione vi instinctu naturae suae inditi dum homo non alligatur ad particulares perceptiones rerum vi sensuum tendit ad abstractiones universales[1]).

Ergo tantum complexio temperata ratione naturae ejus specificae convenit homini.

Complementum explicationis thesis.

1⁰. Temperamentum specificum competit homini ab anima juxta principium „non enim unio animae ad corpus est propter corpus sed propter animam; non enim forma est propter materiam, sed materia propter formam“[2]) ita tamen, ut dispositio ad formam (temperamentum) remote in materia perficiatur a generantibus, proxime autem ultima dispositio habetur a forma (anima).

2⁰. Finis temperamenti est disponere hominem ad omnes perceptiones et indicia sensitiva, ad omnes passiones et virtutes imperfectas. Ista dispositio non est consideranda ut mere potentialis, sed actualis quod non impedit eam esse universalem et indifferentem, quia indicat solummodo suam indifferentiam ad hunc illumve actum non autem ad omnem. Inde ab anima in quantum principio speciei informante corpus omnes homines deberent habere perfectissimum temperamentum specifice unum; at quia anima est in materia—subjecto motus, dantur diversa temperamenta secundum individuorum numerum.

Causae temperamentorum

Quamvis tractare ex professo hanc quaestionem non intendamus, tamen saltem paucis indicabimus ei connexa: 1⁰. causas

---

[1]) Anima intellectiva, quia est universalium comprehensiva, habet virtutem ad infinita; et ideo non potuerunt sibi determinari a natura vel determinatae aestimationes naturales, vel etiam determinata auxilia vel defensionem, vel tegumentorum, sicut aliis animalibus, quorum animae habent apprehensionem et virtutem ad aliqua particularia determinata; sed loco horum omnium homo habet naturaliter rationem et manus, quae sunt organa organorum, quia per ea homo potest sibi praeparare instrumenta infinitorum modorum, et ad infinitos effectus“. Sum. Theol. I. qu. 16, a 5 ad 4.

[2]) De malo qu. 5, a. 5.

diversorum temperamentorum: a) in genere, b) in specie. 2°. species temperamentorum individualium.

Causa proxima formalis temperamentorum sunt notae individuantes i. e. ipsae dispositiones inhaerentes omnibus partibus organorum et potentiarum; remota oritur principio individuationis, in quantum materia corporis organici signatur quantitate interminata, interna proportionis, non vero externa extensionis. Crescimus quidem augmento externo, sed temperamentum idem manet.

Causa materialis proxima, seu subjectum temperamenti, est humidum radicale compositum quatuor humidis corporis: flegmate, cholerâ, sanguine melancholiâ[1]); tactus communis i. e. systema nerveum assignatur humidi sedes; remotum subjectum est corpus non anima, jam probatum est.

Causa efficiens principalis sunt parentes magis autem pater ejus quod est individui, dum mater ejus quod est commune naturae humanae instrumentalis; causa est virtus seminalis generantium, quorum materia seminis transformatur in humidum radicale.

Causa demum finalis est inclinatio ad actus vitales vegetativos atque per eos ad actus sensitivos et intellectuales, quaeque non est extendenda ad actus proprie dictos, quippe qui non generantur a parentibus. Inde temperamentum inconscium ultimumque ex actibus notum potest comparari febri hecticae quae licet intensissime operetur propter compenetrationem cum habitu et natura minus tamen sentitur, quam febris remissius calens[2]).

Ad has causas in genere temperamentorum pluralitatem indicantes acedunt aliae, ut differentia sexuum, nutrimenti, climatis, occupationis, status socialis, gentis quae afficiunt hominis formationem adeoque animae dispositiones naturales.

Si quaeramus unde proveniat inaequalitas temperamentorum in individuis, invenimus ab irascibili, qui homines dividit maxime, quum pertineat ad eorum naturam individualem potius quam specificam. Sua natura specifica suoque temperamento complexionis concupiscibilis jungit homines, qui natura com-

---

1) *P. Malapert.* Les élém. du caractère p. 11 „Sang, système nerveux, rapports du sang et du système nerveux, mouvement anaboliques, voilà qui n' est pas infiniment mieux défini et plus rigoureusement établi que les humeurs d' Hippocrate".

2) Sum. theol. I, qu. 29, a 3.

muni inclinantur ad appetendum quaecumque servant vitam; sua vero natura individuali qua „filii parentibus similantur“, irascibilis naturae animali objecto suo irritante adversatus inaequalitatem temperamentorum maxime fovet[1]).

Species temperamentorum.

S. Thomas quatuor enumerat species temperamentorum, quorum duae pertinent ad irascibilem: cholericorum et flegmaticorum, duae ad concupiscibilem: sanguinicorum et melancholicorum[2]).

Ista sic dicta classica temperamentorum divisio, quamquam aetate nostra sat modificata, reapse dominatur universis recentium auctorum conatibus inveniendi alios quoscunque modos temperamentorum.

Ab Hippocrate usque ad Kant et Fouillé auctores hujus quaestionis peritissimi semper redeunt ad quatuor principalia temperamenta[3])

Neque putandum est haec quatuor temperamenta singulis hominibus inesse singula meraque, sed fere semper, experientia quotidiana teste, insunt simul sic tamen mixta, ut emineat imperetque ceteris unum. Hujus misturae varietas infinita. Describendis temperamentis haud vacaturi tertiam hujus capitis paragraphum jam adoriamur.

---

[1]) Sum. theol. I, II, qu. 46, a. 5; Qu. disp. De ver. qu 25, a. 6 ad 4.

[2]) *Cholerici* — Sum. thol. I, II, qu. 46, a. 5; II, II, qu. 156, a. 4; qu. 158, a. 4; Sent. III dist. 26, qu. 1, a. 2; De Ver. qu. 25, a. 2; Eth. lib. VII, lect. 5.

Flegmatici — Metaph. VIII, lect. 4; Sum. theol. II, II, qu. 156, a. 1 ad 2.

Melancholici. — Sum. theol. II, II, qu. 156, a. 1 ad 2; I, II, qu. 32, a. 7 ad 2; Com. in lib. Job, cap. 40, lect. 2; Eth. lib. VII, cap. 14; De memoria et reminiscentia l. 8.

Sanguinici. — Sum. theol. I, II, qu. 48, a. 2 ad 1.

[3]) *P. Malapert.* Le élém. du caract. p. 3.

„On a compté des tempéraments partiels ou mixtes en nombre variable; on a changé les noms; mais on en revient toujours à cette tétralogie: sanguin, nerveux, bilieux, lymphatique“. Ex gr. A. Fouille fundat tamperamanta supra activitate protoplasmatis distinguitque duas classes „l' intégration et la désintégration dans l' organisme en général et dans le système nerveux en particulier... op. cit. p. 8-9. Postea istas duas classes subdividit in duas partes quae revera constituuut quatuor temperamenta typica antiquitatis: sanguinicum (sensitivum, vivum, leve), melancholicum nerveum (sensitivum, profundum, libidinosum); cholericum biliosum (activum, ardens); flegmaticum

3. *Notio characteris.*

Χαρακτήρ, ῆρος ὁ (Χαρασσω) graece, latine notam impressam, insculptam (praesertim nummis), item lineamentum, stylum significat. Multorum, quibus vox haec pollet sensuum, quonam nos in praesenti nostra dissertatione utemur?

Apparebit sensus noster decursu laboris.

Characterem intelligimus imaginem, quam potens aliquis imprimit suam alicui ad finem aliquem assequendum deputato. Igitur character hoc sensu tria secum fert: 1) qualitatem non congenitam, sed superadditam, 2) similitudinem impressam ejus, cujus vicet gerit similitudine dotatus, 3) similitudine impressa ordinationem ad aliquem finem.

Definitur character lato sensu.

Character lato sensu definitur complexus habitum operativorum praeter et ante liberum arbitrium solius animae potentiis vel imperfecte a natura concreatorum, vel unione corporis cum

---

(activum et frigidum— vide op. cit. p. 3-80. Auctor quamvit rejiciens numerum humorum antiquorum, notat nihilominus: „Il n' en est pas moins vrai que les résultats purement empiriques des observations d' Hippocrate et Galien sur les tempéraments sanguin et mélancholique d' une part, bilieux et flégmatique de l' autre, méritent, avec les rectifications et les interprétations nécessaires, d' entrer comme éléments dans une classification scientifique; mais il faut pour cela les rattacher par déduction aux principes fondamentaux de la biologie, qui peuvent seuls leur donner leur véritable sens", ib. p. 25. Optime hoc perfecit s. Thomas in sua doctrina de complexione.

Pariter *Wundt* variationem temperamentorum attribuens velocitati et vibrationi nervorum distinguit temperamenta hinc fortia et velocia (cholericum); debilia et prompta (sanguinicum), fortia et lenta (melancholicum); inde debilia et lenta (flegmaticum). Cf. Wundt. Eléments de psychologie dhysiologique. Trad. franç., t. II, p. 390 et seq.

Circa temperamentorum classificationem possunt consuli praeter opera citata: *B. Hellwig*. Die vier Temperamente bei Erwachsenen. Idem, Die vier Temperamente bei Kindern.

Fr. Muszynski. Die Temperamente. p. 274.

J. Bahnsen. Beiträge zur Characterologie, Leipzig 1867, Brockhaus t. I. p. 18-112.

Ch. Ribery. Essai de classification naturelle de caractères. Paris, 1902, Alcan p. 67—89.

Wl. Kozlowski. Pisma filozoficzne i psychologiczne. Lwòw. 1912. Polskie towarzystwo nakladowe p. 350-368.

A F. Lazurskij. Klasifikacija ličnostei.

anima diversos propter status contractorum, vel a DEO infusorum — quibus homo disponitur ad finem universalem et operationes in communi naturae humanae specificas.

Ex hac definitione prosilit differentia inter characterem, temperamentum et complexionem. Character lato sensu est hominis elementum spirituale, temperamentum et complexio elementa corporalia. Pulchre recteque de his A. Fouillé: „La constitution ce sont les variations individuelles dans l' architecture et la charpente du corps, dans le volume et le poid, dans la proportion et l' adaptation des organes. La constitution a donc trait à la structure de l' organisme et à l' équilibre de ses parties; elle est la caractéristique „statique" d' un individu. Le tempérament ce sont les variations individuelles dans l' activité de l' organisme; c' est la caractéristique dynamique d' un individu"[1]).

Hoc sensu tum character, tum temperamentum significant hominis dispositionem ab agente externo vel natura vel naturae principio impressam. Orta dispositio a natura secum fert habitus primorum principiorum, praecipue synderesin in ordine speculativo vel practico; a naturae principio DEO, habitus infusos (characterem christiani—hominis regenerati); a naturae principio in ordine ad generationem habitus contractos in anima ex unione cum corpore per parentes—pecatum orginale quantum ad labem.

Definitur character stricto sensu.

Character stricto sensu definitur: complexus habituum moralium ab homine potentiis animae inhaerentibus acquisitorum, quibus disponitur ad finem suae propriae vitae.

Perfecta uniuscujusque rei ratio colligitur ex omninibus ejusdem causis. Jamvero nunc citata definitio characteris omnes continet causas, nam, quum sicut rei cujuslibet ita characteris quoque, formalis causa ex genere promatur et differentia. In definitione nostra genus constituit „habitus", differentiam „moralis," causam autem materialem, „in qua" nempe subjectum portans characterem constituunt potentiae animae.

Causa efficiens explicita exprimitur ab homine individuo ut persona morali—implicita vero a Deo pro habitibus infusis, qui necessario habitibus moralibus acquisitis conjunguntur. Fi-

---

1) *A. Fouillé* opere citato pag. 5-6.

nis autem characteris, quum sint habitus morales adeoque operativi, est ipsa operatio.

Praedicta definitio fundatur in doctrina de habituum necessitate pro vita morali in genere applicaturque in specie homini proponenti sibi finem particularem hujus vitae[1]).

Non nobis scopus doctrinam de habitibus exponere in tota sua extensione, oportet ergo benevolum lectorem remittere in I-II, ubi S. Thomas eam refert a qu. XLIX ad LXX, ubi consideratio habituum et virtutum sistit in communi, sed tantum ea quae immediate connectuntur cum definitione characteris.

Causa formalis characteris.

Character est complexus ***habituum*** moralium. Sicut qualitas media resultat ex pluribus activis et passivis elementis, ut complexio constituatur, temperamentum ex qualitate media quae sistitur in aequilibrio omnium elementorum, ita character comprehendit multos habitus, tamquam ultimum quo perficitur homo in omnibus suis potentiis. Hoc non obstante, pluralitas habituum non nocet unitati operationis, quia omnes habent unicum principium—voluntatem deliberatam.

Secundum hanc causam recta videtur definitio W. Esser: er (Character) ist der beharrliche Zustand des gesamten Begehrungsvermögens[2]); „P. Gillet:“ Le caractère est constitué

---

1) Maximum in vita humana habituum momentum probavit professor P. *de Langen—Wendels* (in praelectionibus semestris hiemalis 1915-16) qui thesin principalem sic expressit: „Tota moralis scientia de habitibus esse videtur“. Hac de re pariter solide scripserunt auctores alii, quorum citabo Franciscum Cardinalem *Satolli:* De habitibus, Romae, typographia polyglotta Vaticana 1897. „Habitudine tota hominum vita circumscribitur, consentaneitate et constantia obtinet unitatem, quae praeteritum et futurum in praesens cogit. Idcirco uniuscujusque vita tanti valet, quantam habitudo agendi vindicat sibi aestimationem et ratione diversarum habitudinum solet ipsorum hominum vita quasi in totidem species discriminari“ (Proemium p. V-VI).

Vel audiatur *Rabier*, Psychologie. livre V, page 587: „L' habitude est la tout progrès. Elle est le progrès lui-même“.

Consuli ad uc possunt: *Aristoteles,* Categor. 8 et IV Metaph. *St. Thomas,* Comment. in Aristotelem; Summa theol. I, II, qq. 45-55.

Commentatores in I, IIae Cajetanus, Alvarez, Medina etc.

Maine de Biran, Mémoire sur l' habitude; Ravaisson: De l' habitude, thèse de doctorat 1838, réédité par la Métaphysique et de Morale, 1894.

A. Lemoine, „L' habitude et l' instinct; *Gillet* O. Revue des sciences philosophique et théologiques, *Janvier* 1907, pp. 94-98; juillet 1907, page 207.

2) Psychologie, Münster, 1854, II, 672.

par un ensemble d'habitudes morales intelligemment groupées autour de l 'axe volontaire„[3]). Vel R. V. Trine:“ Alle deine Gewohnheiten zusammengenommen, bilden deinen Character[2]).

Dicitur complexus habituum moralium non intellectualium —agimus de habitibus operativis et quidem perfectis. Neque intellectuales vel speculativi: scientia, sapientia; neque practici habitus: artes—constituunt characterem. Nam de ratione characteris est totam complecti vitam, dum intellectuales habitus in solam influunt operationem cognoscitivam, quibus et abuti potest homo. Quamquam intellectus in charactere momentum non negamus, alioquin jam dictis a nobis de intellectus et voluntatis concursu in actu humano contra diceremus. Quid autem intellectui ad characterem apparebit infra. Character ergo constituitur habitibus operativis perfectis, moralibus, quorum proprium est modum inclinationis indeterminatae potentiae ad bene vel male operandum tollere.

Habitus entitativi disponunt dumtaxat subjecum, ut bene vel male se habeat in seipso quoad esse suum et possunt pertinere ad complexionem, ut elementum „staticum“; habitus vero operativi imperfecti sive cognoscitivi, ut habitus primorum principiorum sive ut appetitivi—dispositiones remotae characteris et propriae temperamento, ut elementum „dynamicum,“ sunt omnino indifferentes in ordine morali necnon germina characteris. Locantes characterem in bono malove animae in ejusve pulchritudine differentiam istam videndi sunt incapaces.

Causa materialis.

Causa materialis seu substratum, in quo habitus firmantur, est natura humana; haec vero consideratur, vel quantum ad corpus et ad vitam mere corpoream sive vivendi infimum gradum, vel anima ipsa; quae consideratur, vel secundum essentiam vel secundum aliquam suam potentiam. Potentiae vero distinguuntur in sensitivam et intellectivam partem, ubi praestant intellectus et voluntas. Cum sermo redeat infra de psychologico substrato characteris, tunc eam absolvemus.

Causa efficiens characteris.

En quomodo est ennunciata: causa efficiens explicita expri-

---

1) L' éducation du caractère, Paris, 1908, p. 21.

2) Charakterbildung durch Gedankenkräfte, Stuttgart 1906, pag. 17.

mitur: ab homine individuo, ut persona morali, implicita vero a DEO pro habitibus infusis qui necessario cum habitibus moralibus acquisitis cunjunguntur.

Ubi juvat praeadvertere, ne male interpretetur quispiam nos non agnoscere Deum esse causam efficientem directe pro habitibus supernaturalibus aut omittendo in definitione characteris istam particulam peccasse contra secundam conditionem requisitam completae definitionis. Mens nostra fuit ponere definitionem characteris in se quae conveniret infidelibus et christianis, qui confitentur se habere finem supernaturalem ad quem debent esse dispositi a Deo per habitus infusos tali fini proportionatos. Eo magis excusat nos explicita mentio hujus particulae, quia statim tractaturi sumus de notione characteris theologice considerati.

Character sunt notae individuales personae moralis, sicut temperamentum notae individuales individui physici. Persona autem moralis hoc proprium habet, ut sit principium activum suae operationis quod competit ei, in quantum agit ex voluntate deliberata. Ergo omnes habitus, qui sunt notae individuales hominis, procedunt ab eo, ut causa remota suae operationis, per voluntatem deliberatam, ut causa proxima habituum. Ita merito potest dici: homo solus et ut individuus et ut socialis potest in se et a se per omnes et solos actus humanos elicitos ex principio activo et passivo simul generare veros et perfectos habitus, qui in ordine ad individuum dicuntur acquisiti in ordine vero sociali consuetudines[1]).

Character igitur proprium est tantum animae, sicut complexio et temperamentum sunt propria tantum corpori. Haec habentur a natura et independenter ab ejus voluntate, ille sequitur eum tamquam dominum suum in cujus potestate est possidere omnes causas suae operationis et seipsum in temperamento spirituali — charactere[2]).

---

1) Sum. theol. I, II, qu. 51, a. 2; cf. qu. 63, a. 2; De malo, qu. II, a. 2 ad 4 et 6; De veritate, qu. I, art. 9 corp. et ad 10; art. 2 ad 13.

2) Fouillé, op. cit. Eleganter scribit auctor in solida introductione p. XVIII: „Le visage moral n' est pas fixé comme le visage physique, que modifie seule la longue accumulation des années . . . nous sommes, en quelque sorte, un „devenir“ qui se change lui-même sant cesse par l' idée qu' il a de soi, et de son point de départ, et de son but. En un mot: c' est le propre de sa nature que de pouvoir toujours ajouter à sa nature“.

Acquiruntur autem habitus pluribus actibus in potentiis appetitivis sive intellectualibus sive sensitivis. „Habitus generatur per actum, inquantum potentia passiva movetur ab aliquo principio activo. Ad hoc autem, ut aliqua qualitas causetur in passivo, oportet activum totaliter vincat passivum"[1]). Principium activum—ratio—non potest unico actu supervincere appetitivam potentiam quae diversimode se habet ad plura. Ergo. Ratio majoris est quia agens non potest formam passo introducere, nisi omnibus impedimentis in passo sublatis sicut ignis non potest totaliter vincere suum combustibile, nec statim inflammat, sed vix cum abjecerit contrarias dispositiones.

Character sunt notae individuales personae moralis, sicut temperamentum notae individuales individui physici. Persona moralis autem hoc proprium habet, ut sit principium activum suae operationis, quod competit ei quantum agit ex voluntate deliberata. Ergo omnes habitus, qui sunt notae individuales hominis, procedunt ab eo ut causa remota suae operationis, per voluntatem deliberatam, ut causa proxima.

Habitus itaque gignuntur ex actibus multiplicatis in potentia passiva determinando eam ad unum[2]).

Multi auctores in definitione characteris bene hoc posuerunt, ut v. gr.. *M. Meschler:* „Character ist *der Mensch selsbt*, insofern er mit Einsicht und Bewusstsein nach klar erkannten Grundsätzen und mit Beständigkeit handelt"; — Gesammelte kl. Schiften. Freiburg, 1908, 2 Heft. p. 116.

Paulhan: „le charactère d' une personne, c' est, en somme, ce qui la caractèrise, ce qui fait qu' elle *est elle — même*, non une autre. C' est la *nature propre de son esprit*, la forme particulière *de son activité* mentale" Les Caractères. Paris, Alcan. 1914, introd. p. 1. Ib.

C. Werner: „Der Character des Menschen ruht *auf seiner persönliche Gesinnung;* die Grundgesinnung des sittlichen Characters ist das aus der Erfassung *des persönlichen* Lebensberufes herausgebildete Bewusstsein um die sittlichen Aufgaben, die der einzelne zu vollführen hat, auf dass sein Dasein und Leben ein Sein und Leben in der Wahrheit sei und in dieser sich vollende"; Wesen und Begriff der Menschenseele. Brixen 1868, p. 66.

C. Fortlage: „Wir verstehen unter Character nicht nur die Eigenschaften des Blutes und die Grundtriebe und Neigunguñ unseres Wesens, sondern dasjenige, was *wir selbst* aus dam Naturel durch eigenen Willen und eigene Kraft zu machen wussten". — Psychol. Vorträge. Jena 1869, p. 140.

[1]) Sum. Theol. I, II, qu. 51 a. 3.

[2]) *Fouillé*, op. cit. introd. p. XVII. De characteris generatione valde

Causa finalis characteris.

Charactere individuum disponitur ad operandum primatio circa finem in particulari, bonum vel malum, libere electum propriae ejus vitae. Character constituitur toto complexu habituum, quo homo tendit non media et circumstantias vitae attingere, sed ipsum finem, qui solus potest dominari totae vitae. Iste finis non sumitur pro fine universali in communi, quia homines in eo non diversificantur; ille aequaliter omnibus convenit et est actus necessarius liberam electionem praecedens. Neque est finis particularis in communi; eo modo sumptus est elementum ideale, idea speculativa characteris, non movet voluntatem nec concurrit ad eum formandum. Inde oportet, ut sit finis in particulari seu aliquid concretum, clare conceptum tamquam terminus realiter obtinendus.

Finis particularis ita acceptus debet fundari in universali, cui soli competit dominium totius vitae. Persona enim moralis distinguitur ab individuo simpliciter eo, quod objectum suae operationis est verum et bonum universale. Ergo finis in particulari relate ad individuum ut sic, debet esse finis universalis aut aliquid quod habet rationem talis finis relate ad personam moralem.

Secundario et per consequens in particulari comprimit omnia media et circumstantias uniuscujusque actus huic fini proportionato.

Ex proposito sibi fine, gignuntur boni vel mali habitus. Finis enim universalis potest habere rationem ultimi absolute vel relative. Si sumitur ultimus relative, tamquam summum bonum sine ordine ad ultimum absolute, oriuntur mali habitus et e converso. De specificatione characteris secundum causam finalem vide infra.

---

correcte loquitur. „Mais le caractère inné lui—même n'est que le point de départ d'une évolution nouvelle accomplie par l'individu même, et qui s'exprime dans le caractère acquis. Ce dernier, enfin, est acquis en partie d'une manière passive, sous les influences extérieures de la nature ou de la société, mais il peut aussi être acquis d'une manière active par la réaction de l'intelligence et de volonté sur le naturel. *C'est même selon nous, cette réaction personnelle* qui, par excellence, *constitue le caractère proprement dit*, par opposition au tempérament et a la constitution innée“.

Additur circa finem libere electum propriae vitae. Hoc est essentiale characteri. Eo character differt a complexione et temperamento, quod character hominis cui imprimitur forma a fine sibi praestito, antequam illam accipit, deliberat et judicat, eligit et consentit, dum complexio et temperamentum accipiuntur sicuti natura vel principium naturae nobis offerunt. Oportet itaque persona moralis intercedat et ea quae sunt extra suam voluntatem deliberatam, transformat secundum principia interna actus humani. Temperamentum ante usum rationis amorale, incipit morale fieri quoque judicio reflexivo de proprio suo actu.

Pariter character libere eligens finem suae operationis differt a charactere pure pragmatico—externo, ubi causae externae influunt in formationem ejus. Hae causae reduci possunt ad tres. Prima causa facit elicere actum imperatum vel violentia, assuefactione, ponendo eum contra voluntatem personae moralis cum interna resistentia, vel timore exigendo certos actus exercere. In primo casu tollitur voluntarium, in secundo actus sunt simpliciter voluntarii, secundum quid involuntarii. Secunda est suggestio physica—pure sensibilis, ut accidit apud infantes et imbecilles agendo in imaginationem eorum. Tertia exercet suam vim in intellectum practicum quantum ad opera facienda, uti habetur in artibus, et sic producuntur characteres artificiales v. gr. oratores, comoedi etc...

Ultimo demum dicitur circa finem propriae vitae, non alienae. Non desunt nobis praeceptores, qui curent aliis consilio et adminiculis characterem educare, qui habeant prudentiam politicam, justitiam legalem, sed quibus deest prudentia monastica, justitia distributiva in propria vita. Et quia habemus multos praedicarores, paucos vero legis factores, rari sunt veri nominis characteres. His optime convenit effatum jam a Salvatore pronunciatum: „Medice, cura teipsum“ (Luc. IV, 23).

De effectibus characteris.

Omnibus characteris causis jam expensis remanent aliquae quaestiones intime connexae cum natura characteris: 1°. de effectibus et qualitatibus characteris; 2°. de principalibus speciebus ejusdem.

Effectus characteris sunt iidem qui et habituum. Habitibus homo disponitur ad prompte perfecteque in praeparatione animae ex bona vel mala fide conscientiae operandum.

Promptitudo et perfectio operandi resultat ex complexu habituum radicatorum in anima qui possidentur a persona. Ista tamen promptitudo operandi consistit potius in praeparatione animi, quam in ipsa actione. Praeparatio animi consistit in dispositione habituali, qua quis positis omnibus circumstantiis statim, prompte et perfecte agit. Removendae sunt igitur sententiae eorum qui confundunt characterem cum activitate. Character non multiplicat actiones propter actiones, sed semper intendit finem; nec multae actiones ostendunt characterem, quae sunt effectus neurasteniae, sed praebent indicium defectus ejus. O quam multi clamatores, propter extremam activitatem nostri saeculi, sed quam rari homines characteris!

Causam hujus volumus ponere in defectu judicii habitualis conscientiae, ubi collectio animi et intensa concentratio omnium ejus potentiarum, sola potest gignere characteres, qui videntur timidi, sed data occasione apparent fortes et sunt constantes in sua vita privata et intima.

De qualitatibus characteris.

Homo agens charactere gaudet omnibus habituum qualitatibus, quibus competit ratio effectus characteris, secundum quos saepe saepius alii judicant de excellentia vel malitia characteris. Etiam multi auctores describunt characterem juxta qualitates ejus non assignando ipsam causam formalem characteris.

Inter qualitates characteris *primo loco* ponendae sunt constantia et perseverantia. Constantiae est persistere contra obstacula, perseverantiae vero — contra fatigationem.

Character fert secum germen personae moralis in quo radicantur plures habitus, unde resultat firmitas. Secunda qualitate character distinguitur a simplici dispositione, quatenus habitus characteris est difficulter mobilis. Atqui habitus est complexus habituum difficulter mobilium, inde debet perseveranter inesse et continuo impellere ad actum.

2^0. Promptitudo est propria omnibus habitibus, propter semel victam potentiam passivam. Proprium autem characteris est, ut agat illico i. e. ut inter occasionem datam agendi et actum nulla intercedat actualis deriberatio. Bene sonat ergo operari habitu est quasi secunda natura operari.

3^0. Uniformitas et universalitas agendi. In hoc character distinguitur a temperamento qui agit uniformiter ex natura sua

physica, sed particulariter, quia natura determinat ad unum. Non est proinde adscribendus character agentibus ex pertinacia, audacia etc.. Sunt quidem illi uniformes, sed clausis oculis. Universalitas agendi est vera nota characteris, quae sequitur ex eo, quod character respicit finem et secundario tantum circumstantias.

4⁰ Delectabilitas et facilitas agendi secundant remota omni resistentia potentiae passivae.

5⁰. Licet agens habitu operetur ex judicio deliberato, non tamen semper actu deliberato, quia habitus producit facilitatem actuum, efficit, ut actus absque conatu repetantur: quo fit, ut tendat inclineturque ad agendum homo absque deliberatione adeoque minuantur paulatim conscientia, voluntas, attentio. Nihilominus agit volenter et liberrime, licet necessario ex suppositione. Habitus est terminus et principium libertatis, procedit enim ex assuefactione per actus humanos volenter et liberrime exercitos—homo seipsum facit. Supposito habitu sequuntur actus necessario virtute relicta in libertate ex anterioribus actibus liberis. Itaque patet, omnes actiones temperamenti esse simpliciter involuntarios, quia natura est principium necessitatis absolutae et possidet individuum et personam physicam, non autem possidetur ab ipsa. Possunt tamen esse voluntarii, si quis directe et positive eligit sequi temperamentum vel indirecte non amovet obstacula. Et sic actus habentur materialiter temperamento et formaliter charactere.

Igitur actibus liberis homo quoad ultimum finem meretur digna vel indigna. Bono gaudens charactere liberius bonum agit; afflictus malo charactere facilius in malum trahetur. Atqui libertas actionis auget meritum culpamve. Ergo. Restat unica conclusio hujus considerationis: Age, exerce virtutes charactere quo magis merearis; abstine a peccato charactere, ut minuas peccata, culpam, poenam.

Principales species characteris.

Ad nostram considerationem characteris in se parum refert in classes dividi characterem hoc proinde paucis absolvemus; illos auctores consulat lector qui longe lateque varias characterum [1]) classes exponunt.

---

[1]) a) Fr. *Paulhan*, op. Dividit librum in III partes: p. I. Les types produits dar la prédominance d'une forme particulière de l'activité, p. 11-117. Ubi distinguit; lib. I. Les types provenant des formes diverses de l'association psy-

Quia character complectitur habitus hac parte formali, tantum aliquae species assignari possunt, prout character constituitur habitibus naturalibus tantum — chararacter naturalis, vel etiam habitibus supernaturalibus—character supernaturalis, ut patet infra— [1]).

Tamen descendendo ad naturam individualem personae moralis, character potest praesentare innumeras fere variationes[2]).

Possibile ergo est indicare aliquos typos characteris, sed individua possunt comprehendere plures typos, ita quod impossibile est procedere ad individuorum classificationem.

Nos sistimus tantum in explicatione specierum characteris, hic naturalis, infra supernaturalis.

Character naturalis in quantum intercedit causa efficiens ejus—persona moralis potest esse: perfectus et imperfectus.

Characterem naturalem perfectum possidet homo, quando ipsam substantiam habitus propriis actibus repetitis absque naturae vel educationis adjutorio per se ipse solus acquisivit. Hoc

---

chologique; lib. II. Types provenant des différentes qualités des tendances et de l'esprit.

p. II. Les types formés par la prédominance ou le défaut d'une tendandance p. 117—190 et lib. I. Les types déterminés par les tendances vitales; lib. II. Les types déterminés par les tendances sociales; lib. III. Les types déterminés par les tendances supra sociales, p. III. Le caractère individuel, p. 190—218.

b) *A. Fouillé.* op. cit lib. II, p. 120—167 De la classification des caractères.

c) *P. Malapert.* Le caractère, op. cit. a pag. 236 usque 271, succincte variis characteris classibus expositis proponit suas. Quam absonum sit aliquando conari omnes possibiles et impossibiles characteres indicare, patet apud Fourier (ib. p. 240), qui numerat 810 characteres. En divisio cap. VI apud Malapert. Les classifications des Caractères. 1. Difficultés spéciales; comparaisons avec les classifications des naturalistes p. 236. 2. Classification: du Dr. Azam p. 240, de M. B. Perez, p. 242, de M. Ribot, p. 251, de M. Paulhan, p 259, de M. Lévy, p. 267; clasification proposée p. 268.

d) *Fr. Queyrat.* Les caractères et l'éducation morale. Paris, Alcan, 1896, p. 24-110.

e) *Ch Ribéry,* Essai de classification naturelle des caractères. Paris, Alcan 1902, p 67—167.

1) De notione charact. theologice considerato.

2) „Notre caractère est formé de couches successives. La première est due à la race, la seconde à la division fondamentale des sexes... La dernière couche est le produit de la constitution individuelle et du tempérament propre. *Fouillé* op. cit. introd. p. XVI.

est ideale, sed ideale in ordinario cursu rerum non verificatur nisi per exceptionem. Magis nobis consentaneum est perficere ea quae complexio et temperamentum praebent tamquam materiam informem et per proprios actus deliberatos induere characterem naturalem imperfectum.

Dispositiones enim temperamenti ut tales numquam possunt esse nec simpliciter bonae nec malae, sed quodammodo sunt indifferentes, ita ut ultima dispositio ad bonum malumve proveniat ex deliberata voluntate.

Character igitur naturalis imperfectus continet illos habitus qui partim sunt a natura i. e. a temperamento et disciplina partim ab ipso individuo.

Intra has species collocantur omnes typi characterum sive per causam materialem—substratum psychologicum sive per causam efficientem—personalitatem, sive per causam finalem.

B.- NOTIO COMPLEXIONIS, TEMPERAMENTI, CHARACTERIS THEOLOGICE CONSIDERATA.

Sicut jam dictum est supra[1]), homo in prima sua conditione taliter institutus fuit a Deo, ut corpus omnino subjaceret animae, cujus rursum inter partes inferiores vires rationi absque repugnantia parerent, haecce ipsa demum obediret Deo. Hic hominis mire ordinatus status justitia originalis nominatur, atque suprema perfectio sive complexionis sive temperamenti sive characteris est dicenda.

Notio complexionis.

Complexio corporis, ut dictum est, fundatur in habitu constitutivo naturali, qui in statu justitiae originalis propter donum gratiae subdebatur animae. Hoc donum gratuitum amisere protoparentes peccato. Quomodo ergo se habet complexio theologice considerata in statu naturae lapsae?

S. Thomas interrogando utrum originale paccatum sit habitus, optime respondet ad nostrum quaesitum[1]). Ostendit enim peccatum originale non esse privationem puram, sed quemdam habitum corruptum medium inter habitum, quo inclinatur poten-

---

[1]) Sum. theol. I, II, qu. 82, a. 1.

tia ad agendum, atque illum, quo disponitur natura contrariis dotata qualitatibus activis videlicet et passivis elementorum, ut bene se habeat vel male ad aliquid. Infirmitas haec supplantavit harmoniam, qua justitia orginalis hominem beabat. Imperio super materiam amisso, spiritus virtutem simul amisit conservandi corporis in innocentia, integritate, immortalitate; itaque mox irruerunt in hominem infirmitates, vitia, culpae, labes, dolores, mors totidem originalis peccati stipendia.

Notio temperamenti.

Primi hominis corpus ab ipso Deo fictum, animae perfectissime obtemperabat, ut ostendit s. Thomas in I, qu. 91, a. 3; quum inferiores vires imperio voluntatis, haec rationis obsequebantur optime.

Justitia orginali deficiente, naturae lapsae temperamentum quoque deficit ipsum opera carnis peccato per generationem originali traducto. Latet enim instar plantae in germine peccatum originale in semine corporali, quod sua virtute traducit in prolem conditionem parentum [1]).

Unde aequilibrium perfectum omnium qualitatum corporalium in corpore organico et speciatim in organis passionum et sensuum, maxime tactus relate ad omnes perceptiones, judicia sensitiva, passiones et virtutes imperfectas transvolavit. Perfectum dominium quo omnes inferiores vires subdebantur imperio rationis et voluntatis ita, ut motus sensitivi tam in parte irascibili quam in concupiscibili numquam praeveniret judicium rectae rationis, neque in suo termino aut in modo tendendi ad terminum, quod est passionum objectum, transgrediebatur rectae rationis limites ruit [2])

Effectus vero qui hujusmodi temperamentum sequuntur sunt: 1°. carentia roboris quo pars iraschabilis in qua est fortitudo, ordinabatur ad arduum, unde resultat vulnus infirmitatis; 2°. carentia ordinis quem pars concupiscibilis, in qua est temperantia dicebat ad delectabile moderatum ratione, unde vulnus concupiscentiae. Breviter infirmitas moralis ei congenita est.

---

[1]) Sum theol. I, II, qu. 83, a. 1.

[2]) De malo, bu. 4, a. 2, ut eleganter Doctor notat: „Inferiores vires quae erigi debebant in rationem, *depressae* sunt ad inferiora convertuntur secundum proprium impetum".

Notio characteris.

Theologi est considerare characterem ex parte animae[1]). Quaenam sunt ergo conditiones characteris theologice considerati?

Recte responsuros, oportet indagare cujusnam principia characterem constituentia sint conditionis. Jamvero, ut jam comperimus, unum talium principiorum est voluntas deliberata. Duas peccatum originale in homine occupat arces: unam per generationem in carne, unde lacessit animam[2]), quod bene explicat notionem complexionis et temperamenti; alteram ordine perfectionis ipsamet animae essentia, unde lacessit potentias, quod sufficienter interpretatur principia activa characteris.

Peccatum originale licet generatione carnali traductum non sensitivas prius utpote carnis potentias afficit, sed voluntatem; neque inter animae potentias intellectum prius, licet hic noscendo praecedat, laedit, sed voluntatem, utpote agentem — nam peccati ditio actus. Menti tenebras ignorantiae, voluntati plagam malitiae infligendo peccatum characterem ipsum mentis voluntatisque clientem graviter labefecit.

Mutuas complexionis temperamentique circa characterem vices breviter compositituri item quanti mens, quantive voluntas in figendo eodem valeant agnituri aestimatorem peritissimum D. Thomam audiamus: „Homini, ait ille, in sua prima institutione hoc beneficium fuit collatum divinitus, ut quamdiu mens ejus esset Deo subjecta, inferiores vires animae subjicerentur rationali menti, et corpus animae subjiceretur. Sed quia mens hominis per peccatum a divina subjectione recessit, consecutum est, ut nec inferiores vires totaliter subjicerentur rationi; unde tanta consecuta est rebellio carnalis appetitus ad rationem, ut nec etiam corpus totaliter subjiceretur animae, unde consequuntur mors et alii corporales defectus. Vita enim et incolumitas corporis consistit in hoc, quod subjiciatur animae, sicut perfectibile suae perfectioni. Unde per oppositum mors, et aegritudo, et quilibet defectus corporalis pertinet ad defectum subjectionis corporis ad animam“...

Post hanc aestimationem character utcunque perfectus desperanda res certe theologo?

Esto quidem sic in ordine supernaturali si ad proprias vires

---

1) Sum theol. I, qu. 75, prologus.

2) Sum theol. I. II, q. 83, a. 2.

hominis attendamus. Nihilominus etiam in ordinem naturalem desperationem hanc invehere vetat Ecclesia catholica[1]). Conc. Trid. (Sess. 6 de just. c. 7, Denz. 699) s. q. d.: „Opera omnia, quae ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata... a. s. et merito a Pio V (Denz 905) fuisse damnatam (25) propositionem Baii: „Omnia opera infidelium sunt peccata, et philosophorum virtutes sunt vitia“. Immo vero etiam spem excitat fovetque grandem salutis incessanter atque ubique praedicando Deum-Hominem J. C. regeneratorem, restauratorem. Joan. 1, 17. „Gratia et veritas per Jesum Christum facta est“.

Quam ob rem characterem theologico aspectu considerantes nequimus praetermittere, quomodo homo in statu naturae reparatae per gratiam constituatur.

Cum enim notum sit gratiam a virtute distingui, quin esse priorem oportet habeat distinctum praecedensque subjectum[2]). Illud autem virtutis est animae potentia, qua prior essentia. Ergo subjectum gratiae nonnisi essentia animae esse potest[3]).

Itaque dicendum nihil de temperamento supernaturali, nisi simul cum gratia infundi virtutes morales, quae rectificant partem appetitivam hominis.

Sed character sese prodit, quum homo sub regimine rationis voluntatisque constitutus incipit uti virtutibus infusis, suoque actu ex temperamento characterem enucleans.

CAPUT II.

SEDES ET FUNDAMENTA CHARACTERIS.

A. Psychologicum subjectum characteris.

1. Psychologicum subjectum characteris in genere.

Psychologicum characteris subjectum est idem ac habituum. Probata definitione characteris tamquam complexus habi-

---

[1]) Quod quidem potest homo sine gratia, vide Sum theol. I, II, qu. 109, art. 1-10 De Malo, qu. 2, a. 5 ad 7.

[2]) I, II, qu. 110, a. 3.

[3]) Ibid. a. 4.

tuum moralium, investigare oportet quibusnam potentiis animae corporisve inhaereat condensa vis, quae facit personam, eique tribuit notas individuantes unius vel alterius typi characteris.

Praenotanda.

Duo principia motuum et actionum numerantur: natura in agentibus physicis pro substantia et habitus in moralibus pro accidenti. Agentia physica moventur habitu innato, agentia vero moralia movent se habitu acquisito. Igitur habitus motus innati habent substratum ipsam naturam; acquisiti eas tantum potentias, quae natae sunt esse subjectum habitus.

Quid possit esse habitus subjectum? Cum habitus importet dispositionem quamdam ad bene esse aut male in proportione ad formam, vel ad operationem, tria requiruntur, ut aliquid possit esse subjectum habitus. Primo, ut quod disponitur differat ab eo ad quod disponitur, et se habeat ad ipsum, ut perfectibile ad perfectum, ut potentia ad actum. Unde quod non componitur potentia et actu nequit esse habitus subjectum.

Secundo, ut quod est in potentia ad alterum possit determinari ad plura diversa et contraria. In his ergo quae sunt determinata ad unum habitus non datur, quia hujusmodi subjectum sua natura debitam consequitur habitudinem ad motum.

Tertio, ut possit determinari pluribus modis ad unum eorum ad quae est in potentia: quod enim semper uno modo inclinatur est necessario determinatum, nec quoquam superaddito indiget, ut determinetur.

Ex his sequitur subjectum habitus esse naturam in genere, quae possit componi: componi materia et forma substantiali, corpore et anima.

Corpus dupliciter intelligi potest: ut distinctum ab anima seu generice quod habeat omnes conditiones aliorum corporum atque quod specifice proprium corpori humano; ut socius animae, suae formae, cui subordinatur in ordine essendi et operandi.

Anima potest considerari, ut substantia, et ut principium operationis per suas potentias. Potentiae sunt intellectivae vel sensitivae. En igitur, quaestiones concernentes habitus subjectum seu psychologicum characteris substratum, quae in hoc paragrapho expetuntur.

Habitus et anima in se.

Jam animam consideremus humanam, probemusque eam

subjici habitibus aut immediate, propria essentia, aut mediante aliqua potentiarum suarum.

Primo igitur asserimus in anima non posse habitus reperiri, quia substantia animae est essentialiter simplex nec ordinatur, nisi ad unam formam qua complet humanam naturam. Ergo. Pariter anima propter suam simplicitatem partes nec formales, nec virtuales habens exigit dispositionem in corpore eique communicat suum esse simul ac materia post conceptionem disposita est ad eam excipiendam, qua essentiali ūnione perficitur humana natura juxta principium: materia est propter formam. Omnes itaque variationes in vita sive vegetativa sive animali sive intellectuali ultimo proveniunt a corpore. Si verum hoc: mens agitat molem, verius etiam mentem agitari mole. Et sic character animae nullus, omnes animae sunt ejusdem naturae, nec crescunt in sua forma; principium diversitatis oritur ex corpore, propter relationem transcendentalem animae ad corpus.

Ultimo hoc notandum: quum character constituatur habitibus acquisitis perfecte vel imperfecte deliberata voluntate, de habitus ratione videtur voluntarium, quia definitur id quo quis operatur cum vult, ergo quodcumque aliud, quanto magis rationis et voluntarii suo motu participat, tanto magis habitu poterit efformari, ac substratus characteris esse.

Habitus et corpus.

Scientes jam quid sit habitus et quot conditiones requirantur, ut in aliquo subjecto reperiatur, progredimur responsum, num habitus possit afficere corpus.

Non quaeritur utrum in corpore possint esse habitus entitativi, habituales dispositiones faciliter transmutabiles, sed an habitus ut qualitas difficulter mobilis perfecte ad actionem disponens possit inveniri in corporibus.

Simpliciter respondendum: in corpore stricto sensu habitus esse non possunt, quia omnes qualitates naturales seu vires corporis sunt ad unum determinatae, ideoque non indigent habitu determinante. Inter characterem stricte dictum igitur et corpus, ut sic, nullus parallelismus psychophysicus existit.

Tamen in corpore, ut instrumento animae, habitus operativi secundario esee possunt. Illius enim sunt habitus cujus operationes; atqui operationes principaliter animae, secundario sunt in corpore, quatenus hoc disponitur ad promte faciliterque

serviendum operationibus ipsius animae. Corpus vero se habet ad animam, ut materia ad formam substantialem, quae non recipitur, nisi in materia proxime disposita, ideoque verum est, actibus psychicis physiologicos respondere semper in nobis, ubi agitur de vegetatione sensuque, qui revera sunt psychophysici, tum ab anima tum a corpore tamquam a principio adaequato eliciti. Ad actus autem intelligendi et volendi, semper motus quidam physiologici concurrunt, quia phantasia vel appetitus sensitivus semper nostros actus spirituales aliquo modo comitantur[1]).

Secundo asserimus nihil obstare quin sit in animae essentia aliquis habitus, quo formaliter ipsa constituatur divinae consors naturae: hic porro est gratia justificans [2]), temperamentum spirituale et supernaturale animae, formans.

Tertio demum asserimus animam, ut operandi principium primum et radicale potentiarum habitus operativi esse subjectum.

Habitus et anima ut operandi principium.

Quaeritur nunc, per quasnam potentias proprie anima humana habitibus operativis subjicitur. Distinguuntur quadruplici vitae gradu animae humanae vires:

1. vires corporeae
2. vires vegetativae
   - nutritivae.
   - augmentativae.
   - generativae.
3. vires sensitivae
   - motivae
   - apprehensivae
     - sensus externi 5.
     - sensus interni 4.
   - appetitivae
     - concupiscibiles.
     - irascibiles.
2. vires intellectivae
   - intellectus.
   - voluntas.

Relatio virium ad rationem et voluntatem tamquam criterium subjecti habitus et characteris.

1. Vires corporeae nec directe nec indirecte subjiciuntur imperio rationis et voluntatis.

---

[1]) „Notre caractère inné, c'est notre organisme vu par le dedans; notre organisme, c'est notre caractère inné vu par le dehors"... Les fondements de notre individualité morale se dérobent ainsi dans les profondeurs de notre organisme. *Fouillé,* op. cit. introd. p. X—XI.

[2]) Sum. theol. I, II, q. 110, a. 4.

2. Vires vegetativae per accidens tantum ratione colligationis virium eidem subjecto subjici queunt.

3. Vires sensitivae a) motivae externorum membrorum subjiciuntur imperio rationis et voluntatis ad nutum, bene valentibus organis; b) apprehensivae exteriores, nullomodo subjiciuntur, interiores vero aliquo modo subjici possunt, in quantum sensus interiores propter intimum nexum cum ratione et voluntate sunt quodammodo ratonales; c) appetitivae subjiciuntur duplici modo: indirecte, actu reflexo; directe electione voluntaria nec tamen ratio et voluntas dominantur eis principatu despotico, sed tantum politico et regali.

Num his potentiis possunt inesse habitus? Respondemus distinguendo subjectum quod et quo. Unicum subjectum quod est suppositum — homo; subjectum quo sunt potentiae suppositi. Igitur consideramus has potentias abstractas quidem at non separatas ab anima.

Concludimus: habitus in potentiis sensitivis appetitivis operantur imperio voluntatis.

Ad partem negativam conclusionis respondetur: non est subjectum habitus id quod determinatur ad unum; atqui potentiae apetitivae sensitivae prout operantur ex instinctu naturae, absolute determinantur ad unum. Ergo.

Appetitus irascibilis et consupiscibilis obediunt rationi et voluntati: rationi quantum ad actum, quia naturaliter moventur a cogitativa obediente rationi, voluntati primo moventi cui appetitus inferior obedit ut movens secundum. Tamen ista obedientia perficitur non despotico principatu, sed politico, quia habet appetitus inferior unde reniti possit imperio rationis, natus est enim dirigi non tantum a cogitativa, sed etiam ab imaginatione et sensu. His praenotatis, probatur pars positiva conclusionis.

Habitus esse possunt et debent in potentiis quae ad diversa ordinantur; atqui potentiae sensitivae appetitivae prout ex imperio rationis operantur ad diversa ordinari possunt. Ergo. Minor supponitur ex I, qu. 81, a. 3, utrum irascibilis et concupiscibilis obediant rationi; I, II, q, 6, a. 7. — Utrum concupiscibilis in genere possit habere voluntarium; I, II, q. 24. De bono et malo in passionibus.

Habitus operativi possuntne inesse intellectui?

Supponimus probatum intellectum differre essentialiter a

sensu non tantum objecto universali, dum sensus de particulari, sed etiam subjecto seu principio elicitivo. Alter enim, ut potentia immaterialis in suo esse et agere non dependet ab organo seu materi.., alter ut potentia organica, utique.

Intellectus in praesenti vita corpori junctus intelligere actu nequit, nisi ope phantasiae; consequenter proinde a sensibus et a corpore dependet.

Iterum intellectus agens et possibilis sunt diversae potentiae circa unum et idem objectum utraque tamen actum intelligendi in homine complent, ita ut possibilis sit recipere intelligibilia, agentis autem abstrahere intelligibilia; neque propterea duplex intelligere in homine.

Quibus rite suppositis concludimus: Primum, intellectus agens quum sit ipse actus intelligibilium nullo titulo potest esse subjectum ullius habitus. Tota igitur quaestio agitatur circa intellectum possibilem in quo habitus operativi locum exercent.

Prob.—Proprie subjectum habitus est potentia passiva et activa simul. Atqui hujus indolis est intellectus possibilis. Nam hinc est potentia passiva relate ad species intelligibiles abstractas per intellectum agentem; inde autem activa et passiva relate ad judicia quibus componit et dividit ideas impressas: unde nihil prohibet esse in ipso habitum, qui sit medius inter puram potentiam et actum perfectum.

Subjicitur habitui, quod est indeterminatum et pluriforme. Atqui id est intellectus possibilis, quia determinatus et uniformis ad percipiendas species intelligibiles, non vero simul ad judicia et ratiocinia, v. gr. rusticus et geometer eodem modo accipiunt formulas mathematicas, sed differunt compositione et divisione et ratiocinio.

Indiget habitu perfici potentia difficiliter operans circa objectum proportionatum. Intellectui hujusmodi objectum est cognitio rei per causas ad quod intellectus possibilis indiget consuetudine.

Denique non est omittendum, praefatos habitus dici principaliter esse in intellectu possibili et secundario et instrumentaliter, ut imperfectos in potentiis internis sensitivis apprehensivis, nam istae praeparant intellectui possibili proprium objectum. Ideo bona dispositione harum virium et ipsius corporis homo redditur habilior ad intelligendum.

Relatio characteris et temperamenti respectu influxus utriusque ad invicem.

Modum oportet hic notare ad quem character et temperamentum invicem connectuntur. Character est animi continentia, temperamentum vero corporis. Quisque homo compendium mundi spiritualis et corporalis fluctibus virium diversarum, commixtarum jactatur, at intellectus noster, quum etiam utatur, ut ita dicam, potentiis sensitivis, tamquam instrumentis, neutiquam fit mancipium istarum.

Jam vero vix in posterum surgent asseclae Spinozae Gall, Schopenhauer, Taine, Herbertii, Spencer, Ribot et aliorum, quorum sententia character noster efficitur complexionis proprietatibus. In cassum videntur nos aliosve erudiendi conatus abire: nascimur poetae non alias, quam nascuntur criminosi, tota quidem moralitas nostra futura jam in utero materno praefinitur!

Perspicuus est error istorum temperamenti formationem cum characteris efformatione commutantium. Quamquam non possumus prorsus negare dependere aliquo modo activitatem intellectivam a sensitiva, ut nimium concludatur obsequium absolutum ferendo „tout vrai caractère est inné," ita ut intellectus voluntasque temperamenti imperio subjiciantur, quippe qui vice sua a qualitatibus virium physico-chimicarum dependent. Ecce, tota quaestio haereditatis in forma crassa proposita circumscriptique.

S. Thomas uno ictu confusionem hujusmodi attribuit illis qui docent *„intellectum non differre a sensu."*

De complexione agentes notavimus, eam esse elementum passionum materiale, at hic liceat nobis integritatis gratia adjicere scilicet influxum qualitatum materialium intellectum voluntatemque insequi indirecte ac per accidens, in quantum quidem utraque potentia modo aliquo influxum accipit a viribus inferioribus in organis corporeis collocatis.

Sed intellectus necessitate patitur influxum a viribus inferioribus apprehensivis, quam ob rem modo imaginativa, modo cogitativa modo memoria intellectus necessario afficitur.

Hoc obtutu explicari possunt prius diversi characterum pathologicorum typi, eorum postea minores majoresve evagationes morum, opinionum demum oppositarum origo.

Sed voluntas non necessitate impressiones sensibiles sequitur, nec etiam inclinationes appetitus sensitivi, quamquam isti

vim quamdam ad voluntatem inclinandam reclinandamque manifestant, alioquin in potestate manet voluntatis sive passiones sequi sive refutare. Etsi nunc temporis pauci exstant homines charactere insignes, quippe longe facilius diserte disputare de illo est, quam assequi ipsum; quamobrem jure merito, ait s. Thomas, pauci sunt sapientes qui passionibus resistunt.

Quid mirum proinde si saepe conditiones privatae socialesque, a passionibus ita concutiuntur, ut maxima ex parte characteres crisibus laborent perniciosissimis.

Sicut potentia voluntatis comitatur intellectui, ratione tum principii substantialis ex quo utraque oritur, tum objecti reciproca actione, ita voluntas habitui subjicitur, quod nunc definiendum.

Ad hoc praenotanda est doctrina s. Thomae de voluntate. Voluntas est potentia appetitiva boni universalis spiritualis coeca. Est universalis quo distinguitur ab appetitu sensitivo boni particularis; spiritualis, quia est potentia animae elevata supra materiam; sed coeca i. e. non ipsamet objectum determinans. Voluntas quamvis unica potentia, duplicem habet actum: actum appetitus naturalis absolute necessario determinatum ad bonum universale sequentemque simplicem apprehensionem — voluntas ut natura „θελησις"; et actum appetitus eliciti sequentem judicium rationis de bono particulari ut medio ad bonum universale — voluntas ut voluntas „βούλησις"[1]).

Istis praenotatis faciliter quaestio solvitur. Voluntati, ut naturae nuli habitus insunt, quia ipsis non indiget.

Voluntati, ut voluntati, necesse est attribuere habitus eosque perfectos. Omnis enim potentia quae diversimode potest ordinari ad agendum indiget habitu. Atqui voluntas, ut voluntas, est potentia rationalis et potest diversimode ad agendum ordinari, est radix liberi arbitrii indifferens ad hoc vel illud. Ergo.

Praeterea, intellectus et voluntas iisdem legibus subjiciuntur vi principii ex quo oriuntur. Voluntas eodem modo est indifferens in actu elicito ad bonum vel malum, sicut et intellectus in ordine ad verum et falsum. Sed, uti supra jam dictum est intellectus indiget habitu, ut determinatum verum intelligat; pariter voluntas, ut inclinetur ad aliquid determinatum, indiget aliqua qualitate inclinante, quaeque dicitur habitus.

---

1) Sum. theol. I, qu. 83, a. 4.

Denique, voluntas est activa et passiva ad volendum: patitur ab objecto et facit objectum eligendo et producendo, ut suum bonum. Claudenda est probatio isto claustro, quo dicitur voluntas egere habitus et quidem perfecti. Habitus perfectus est ille quo quis uti potest, quando vult. Atqui uti cum aliquis voluerit habitu suo est tantum in voluntate quae est principium libertatis. Inde habitus per excellentiam competit voluntati[1]).

Hoc loco non est praetereunda celebris disputatio inter paedagogos, qui hinc momentun intellectus inde voluntatis exaggerant. Pariter inter elementa characteris alii intellectum, alii vero voluntatem extollunt.

Per doctrinam s. Thomae de intellectu et voluntate sat faciliter resolvitur quaestio[2]).

S. Thomas loquendo de intellectus excellentia respectu voluntatis sumit illum in se seu metaphysice, nunquam confundit intellectum cum ratione, tractat de illo in linea entitatis, non vero actionis. Proinde simpliciter et absolute loquendo intellectus est altior potentia voluntate; tamen secundum quid et per comparationem ad aliquid in statu viae voluntas interdum invenitur altior intellectu.

Applicando doctrinam s. Thomae de intellectu et voluntate characteri primatum voluntati attribuo, propter momentum ejus in actione. Voluntas enim in omni electione ac judicio practico intervenit, facultates omnes ad actum applicat, intellectum ad intellectionem movet et ab intellectione divertit, in ordine supernaturali ad assensum fidei determinat. Pariter in quantum character qui est complexus habituum moralium a voluntate deliberata repetitis ejus actibus acquiritur, procul dubio, supereminet virtutes intellectuales, sicut sapientiam, scientiam, artem. Tamen intellectus excellentia eo ipso non negatur, quia voluntas deliberata supponit rationem, ut primum principium suae deliberationis, qua homo recte consiliatur, judicat, praecipit et consequitur intellectum. *„Per intellectum enim cognoscuntur principia naturaliter nota, tam in speculativis, quam in operativis“* [3])...

Haec sufficiant ad dirimendam difficultatem de primatu voluntatis in characteris formatione et ad omnes insanias in hac quaestione confutandas.

---

1) III lib. Com. Mag. dist. 27, qu. 2, art. 3 ad 5.

2) Sum. theol. I, qu. 82, a. 3; cf. dist. 27 qu. 1, a. 4. et De Verit. qu. 22, a. 1

3) Sum. theol. I, II, qu. 58, a. 4.

2. Psychologicum subjectum characteris in specie.

Potentiarum animae humanae determinabilium et perficiendarum per formas quasdam accidentales, aliquae speciali modo requirunt dispositionem stabilem imo perfectam in prosequendum bonum rationis suntque substratus habituum ideoque characteris. Agitur praesertim de appetitu sensitivo et quidem irascibili, tanquam principali sede characteris.—Hac thesi posita tractandum nobis est: de appetitus sensitivi interpretatione mataphysica deque divisione in duas facultates realiter distinctas, de natura appetitus sensitivi irascibilis comparati concupiscibili, de legitima affirmatione appetitum sensitivum esse subjectum habitus atque substratum characteris in specie.

Interpretatio metaphysica appetitus.

Omnes res ordinantur inclinanturque ad ea, quibus naturaliter indigent, ut se conservent ac perficiant[1]). Videmus enim per diversas formas diversas oriri inclinationes: per formam ignis peculiariter tendit in superiora utque generet sibi simile; per formam lapis inclinatur in inferiora. Hac sibi propria forma quaeque res ordinatur inclinaturque in perfectionem, ut nondum obtentam usque prosequatur, in obtenta jam quiescat.

Rebus inanimis una tantum est forma determinans ad unum esse proprium: forma naturalis, quam sequitur appetitus innatus quique non propria facultas est, sed ipsa substantia[2]).

Hanc communem omnium rerum conditionem egreditur natura animalium quae praeter formam naturalem, habet formas aliarum rerum modo intentionali receptas et sibi vitaliter assimilatas. Quia tamen species rerum comparantur per sensus, qui sunt vincti cum materia, idcirco appetitus sensitivus ad hoc requiritur[3]).

Demum cognoscentia intellectiva suscipiunt aliorum formas non tantum intentionali et vitali, sed etiam universali nec pendenti a materia appetitu; quorum inclinationem comitatur appetitus intellectivus.

Appetitus sensitivus notandus est praeter naturalem et intellectivum. Ille stat medius inter innatum orbum cognitione

---

1) Sum. theol. I, qu. 80, a. 1.

2) Sum theol. I, qu. 59. a. 2.

3) Sum theol. I, qu 80, art. 1.

neque contrarium naturali inclinationi ad bonum reale tendenti et inter appetitum intellectualem. Appetitum elicitum qui sive sensibilem sive intelligibilem formam sequens semper cognitionem sequitur interdum contra naturalem tendens operatur, ad bonum apparens deviari atque in bonum ut est conveniens simpliciter animali trahi potest[1].

Appetitus sensitivus dividitur in duas potentias.

Appetitus sensitivus est inclinatio consequens apprehensionem sensitivam, sicut appetitus naturalis inclinatio consequens formam naturalem. Quapropter appetitus sensitivus se habet ad objectum sensu apprehensum, sicut appetitus naturalis in suo ordine. Appetitus vero naturalis inclinatur non tantum ad consequendum convenientia et in convenientia refugiendum, sed etiam ad resistendum iis quae convenientia impugnant et nocent. Ergo etiam in appetitu sensitivo concurrunt inclinationes duae, quarum prior definitur per appetitum consupiscibilem, altera per irascibilem[2].

Sed istae duae inclinationes non reducuntur ad unum principium proximum et immediatum, quia: primo objecta habent formaliter distincta. Objectum nempe concupiscibilis est bonum vel malum simpliciter apprehensum, seu bonum delectabile sensu; objectum vero irascibilis est arduum. Secundo, ad terminos ordinantur diversos. Nam concupiscibilis ordinatur ad recipiendum, quatenus delectabile conjungitur appetitui; irascibilis vero ad agendum, ut per suam actionem repellat et superet obstacula et nociva[3]. Tertio, isti duo appetitus exhibent inclinationes etiam contrarias, nam interdum irascibilis se ingerit contra inclinationem concupiscibilis. Quarto etiam passiones irascibilis videntur repugnare passionibus concupiscibilis, nam concupiscibilis minuit aliquando iram et ira concupiscentiam. Denique irascibilis est quasi appetitus propugnator concupiscibilis, dum congreditur iis, quae partim arcent convenientia quae concupiscibilis appetit, partim suggerunt nociva quae concupiscibilis refugit[4]. Brevius, incipit et terminatur in concupiscibili. Ergo appetitus sensitivus manifeste dividitur in duas potentias easdamque species suas.

---

1) Sum. theol. I, q. 80, a. 1, ad 3.

2) Ibid. I, qu. 81, a. 2.

3) De verit. qu. 25, a. 2.

4) De verit. qu. 25, a. 2.

Natura appetitus sensitivi irascibilis.

Irascibilis denominatur non quasi omnis motus suus sit ira, sed quia desinit in iram inter ceteros motus manifestior[1]).

Dupliciter irascibilis sumi potest: improprie ceu voluntas vel appetitus intellectivus, impugnans malum non impetu passionis, sed judicio rationis. Proprie ceu potentia activa appetitus sensitivi tendens in bonum qua utile arduum repellens noxia nec convenientia delectationi, imo tristia appetitu vindictae vel victoriae ex inimicis conservandae perficiendaeque naturae secundum individuum et speciem ex apprehensione solius aestimativae vel memoriae.

Irascibilis dicitur, quia tèndit in suum objectum aggrediendo vel sustinendo hostilia, ut illi dominetur obstantibus quibuscunque excedens potestatem appetitus animalis. In quibus autem appetitus quiescit jam nulla difficultas neque objectum irascibilis datur.[2]) Econtra concupiscibilis, qui est magis passivus seu receptivus boni malive sensibilis a delectabili vel doloroso regitur rapiturque[3]). False aliqui auctores distinguunt concupiscibilem ab irascibili virtutem, qua una tendat in bonum, altera in malum, nam est ratio amandi bonum et mali detestandi.

Irascibilis tendens in bonum utile, arduum, repulsivum noxae magis accedit ad naturam rationalem, quam concupiscibilis illique praestat.

Ille enim appetitus nobilior est qui prosequitur nobiliora. Atqui appetitus irascibilis prosequitur bonum utile quod sane nobilius est bono mere delectabili. Hanc praestantiam debet aestimativae ut causae[4]). Sane inexplicabiles sunt passiones irascibilis et plane contrariae evadunt, cum idem bonum nunc imaginatione favente adeptu facile appareat, nunc, mutatis conditionibus, jam nimis difficile videbitur, nisi aestimativa accedat. Utrum aliquid vires excedat an non, neque imaginationis est dijudicare, quae repraesentat simplicem convenientiam, dum aestimativa convenientias et disconvenientias apprehendit superiores, nempe quid conveniat aut disconveniat conservationi individui vel speciei; ulla ratio suadet statuere species innatas

---

[1]) Sum. theol. I, II, qu. 46, a. 1 ad 1; I, qu. 59, a. 1 ad 2; I, II, qu. 25, a. 3, ad 1.

[2]) Sum. theol. I, II, qu. 23, a. 1; up. 25. a. 1.

[3]) Ibid. I, qu. 81, a. 2.

[4]) De Verit. qu. 26, a. 4.

ad munus aestimandi quid rebus quidve temporibus conveniat aut non conveniat. Quare recte duae illae potentiae ita inter se comparantur, ut utraque propius, quam reliquae potentiae sensibiles, ad rationem accedere dicatur[1]). Sicut appetitivae virtutes in parte sensitiva possident aliquam vim aestimativam perceptivamque eorum, quae sensum, non immutant, ita pariter appetitus sensitivus possidet aliquam vim appetentem, quod non conveniat secundum delectationem, sed utile sit animali ad suam defensionem; atque haec est vis irascibilis[2]).

Iterum appetitus praestantior censetur qui propinquior est rationi et voluntati. Atqui irascibilis est propinquior rationi et voluntati quam concupiscibilis; nam appettere bonum delectabile, competit animali secundum propriam rationem sensibilis animae, sed delectabili neglecto, praeferre ardua, sustinere dolorem, hoc privilegium rationis[3]).

Quoad modum operandi irascibilis procedit lente quasi deliberando et argumentando quia rationis participat, in executione vero subito operatur. Econtra concupiscibilis[4]).

Irascibilis respiciens bonum individuale potius pertinet ad naturam individuam qua homines maxime diversificantur propter complexionem unicuique propriam. Concupiscibilis magis pertinet ad naturam genericam qua homines tanquam animalia aequantur sunque magis concupiscibiles quam irascibiles[5]).

Quia irascibilis magis pertinet ad naturam individualem et concupiscibilis specificam, lex haereditatis qua filii assimilantur parentibus valet secundum irascibilem[6]). Consequenter, quia concupiscibilis est passivum magis quam irascibilis qui est magis activum et elementum passivum in generatione praeparatur a matre — activum autem a patre, filii magis in concupiscibili matri, in irascibili autem magis patri assimilantur.

Demum irascibilis quod defendit concupiscibilem superat quoque, quia tamen operatur propter concupiscibilem ut hic bono delectabili fruatur, aliquo modo dici potest eo inferior.

---

1) De Verit, qu. 24, a. 2.— Sum. th. I, qu. 81, a. 3; libr. II De anima, ect. 13; II Contr. Gent. c. 73.

2) Sum. theol. I, qu. 81, a. 2 ad 2; cf. De Verit. qu. 25, a. 2.

3) De Verit. q. 25, a. 6; cf. I, II, q. 46, a. 4.

4) Sum. theol. I, II, qu. 46, a. 4.

5) Ibid. I, II, qu. 46, a. 5.

6) Com. in VII lib. Eth. c. VI.

Posita natura irascibilis, sustinemus thesin appetitum concupiscibilem irascibilemque esse subjecta habitus in genere, irascibilem vero substratum characteris pressius sumpti.

Concupiscibilis et irascibilis est subjectum habitus.

Id potest ac debet esse subjectum habitus quod est principium actus humani particeps rationis et voluntatis, indifferens ad bonum malumque difficultate laborans, indigens perfici. Atqui potentiae sensitivae appetitivae omnia haec. Ergo[1]).

1⁰. Potentiae appetitivae sensitivae pertinent ad principia actus humani participando rationem et electionem voluntatis, quia obediunt eis modo politico et regali, uti supra jam dictum est. Bene tamen identidem vitanda est duplex exaggeratio tum antiquorum, tum recentium.—Potentia appetitiva sensitiva obedit rationi non tantum ut pura redundantia propter colligantiam utriusque potentiae seu non subjicitur tamquam purus actus reflexus; ex altera parte, neque subjicitur rationi directe et immediate, quasi voluntas possit ulla alia vi intermedia imperare appetitui sensitivo. Sed semper debet imperare mediate: ratio voluntati, voluntas potentiis apprehensivis sensitivis et haec per cogitativam et imaginationem influit in appetitum. Defectu imaginis non sequitur effectus in parte inferiori, neque aliquis influxus superioris partis in ea producitur. Haec obedientia rationi et voluntati dicitur indirecta et politica relate ad appetitum sensitivum. Tamen hoc in casu supponuntur organa bene disposita, sensus et cerebrum non impedita, imagines representativae vivae, fortes, tenaces passiones pronae quodammodo ad obediendum rationi et voluntati. Obedientia ista non illa membrorum exteriorum executive et extensive participantium rationem, sed elicitiva et intensiva seu potentiae sensitivae appetitivae per se ipsae aliqaliter debent proposita eligere et rationabiliter agere. Inde in potentiis motivis obedientibus ad nutum nullus locus habitibus datur, sed in potentiis sensitivis veri nominis habitus inveniuntur.

2⁰. Quod indifferens est ad plura determinanda dicitur esse subjectum habitus. Atqui potentiae appetitivae sensitivae in quantum subsum rationi et voluntati possunt ordinari ad pluras et diversas operationes. Ergo.

---

1) In III libr. Sent. dist. 33, qu. 2. a. 4 q. 2; cf Sum. theol. I, II, a. 4; II, II, qu. 42, a. 1; et de Virt. qu. 1. art. 4.

3o. Specialis difficultas operandi requirit specialem perfectionem per habitus, principia facilitatis. Difficultas vero in appetitu sensitivo maxima invenitur, quia quoad vitam moralem appetitus sensitivus est in pura potentia. Etsi enim homo in vita appetitiva imperfecte disponitur ad aliquas virtutes quoad vitam moralem universalem est simpliciter in potentia et nisi satagat se perficere semper erit vitiosus, quia semina virtutum in parte temperamenti vicinantur vitiorum seminibus.

Ad istam privativam appetitus sensitivi difficultatem accedit etiam illa inclinans hominem ad agendum contra rationem voluntatemque et quidem subito vehementer. Quia voluntas deliberata principium actus humani, operatur lente et consulte, omnis vero instinctus inconsulto, vitio praecipitationis laborans facilius flectitur in malum fomite peccati originalis. Debet ergo appetitus sensitivus prae caeteris potentiis firmari habitibus et perfici, secus passionibus indomitis, nec ratio nec voluntas moribus dominari valerent.

Argumentum confirmatur ratione theologica. In omnibus hominibus possunt ac debent esse appetitus boni, quibus providus Deus dotavit Adamum parentem, dein Christum Servatorem generis humani. Atqui in Adam et in Christo perfectissimi boni habitus fuerunt appetitus. Ergo. Prob. minor. Quod est in exemplari debet esse in effigie et quod in causa efficiente in effectu pariter. Adam est exemplar primum et causa efficiens generis humani; Christus est exemplar primum et causa efficiens regenerationis ejus. Atqui in Adam perfectecte subjacebant omnes passiones animae legeque divinae teste Sum. theol. I, 95, a. 2; et omnes habitus boni, qui sunt ipsae perfectiones quaedam, quibus ratio ordinatur ad Deum et inferiores vires disponuntur secundum regulam rationis [1]). In Christo autem tanto magis appetitus sensitivus parebat omnino voluntati et rationi cunctisque serviebat virtutibus[2]).

4⁰. Ultimum argumentum nititur isto principio: Quod debet perfici, subjectum habitibus nominatur, sine quo per se et simpliciter non potest esse vita humana perfecta secundum substantiam nec singuli actus humani perfecti integraliter et connaturaliter. Atqui sine habitus in parte appetitiva sensitiva per se et

---

[1]) Sum theol. I, qu. 95, a. 3.

[2]) Ibid. III qu. 7, a. 2; cf. qu. 15.

simpliciter non potest esse perfecte vita humana secundum substantiam, nec singuli ejus actus integraliter et connaturaliter. Ergo. Ad substantiam enim vitae humanae pertinent actus humani eliciti ex deliberata voluntate, ad integritatem vero, aliae potentiae appetitus sensitivi sine quibus actus eliciti a ratione et voluntate non possent compleri, ut sunt potentiae inferiores, praecipue affectus appetitus sensitivi. Jamvero principium actus humani debet esse habitus, ita ut habitus actus primus, operatio sit secundus; operatio est absolute ultima perfectio, habitus — participans et potentiam et actum est perfectio media inter utrumque.

Dicta de subjecto habituum in parte appetitiva sensitiva, tam ad concupiscibilem quam ad irascibilem pertinent. Semel data definitione characteris, merito dici possunt istae potentiae praesertim irascibilis sedes characteris ad quod punctum et quidem principale nunc accedimus.

Irascibilis est subjectum characteris per excellentiam.

Habendo prae oculis jam exposita de psychologico substratu characteris in specie, faciliter ostenditur irascibilis subjectum characteris esse: 1° ex ipsa notione characteris; 2° ex natura irascibilis.

1°. Ex ipsa notione characteris. Character est summa individuantium personam moralem. Atqui persona moralis praeprimis definitur per rationem practicam, participative autem per alias potentias quae natae sunt ad obediendum rationi. Inde character primo et per se convenit rationi practicae, per participationem autem voluntati et deinde irascibili et concupiscibili.

Principales vero qualitates characteris sunt firmitas et constantia. Infirmatur autem homo maxime timoribus in irascibili tanquam subjecto suo [1]); fit inconstans neglecta deficientia et exsiccatione potissimi activitatis fontis qualis scatet ex irascibili[2]). Ergo id quod maxime firmat hominem eumque constantem reddit subjectum characteris per excellentiam vocatur.

2°. Ex natura irascibilis. Id quod maxime pertinet ad naturam individualem hominis, per excellentiam subjectum characte-

---

1) Sum. theol. I, II, qu. 25, a. 1; qu. 41, a. 2 ad 3; qu. 42, a. 3 ad 2; qu. 43, a. 2 ad 3.

2) Ibid. qu. 25, a. 1.

ris nominatur. Atqui irascibilis per excellentiam hujusmodi conditionis est. Ergo.

Prob. minor. Id magis pertinet ad naturam individui quod se habet ex determinata corporis complexione. Atqui irascibilis refertur ad corporis complexionem magis quam concupiscibilis qui pertinet ad naturam speciei, ideo concludit s. Thomas „complexio corporalis, in qua plerumque filii parentibus similantur, plus facit ad dominium irae quam ad dominium concupiscentiae"[1]). Irascibilis igitur praeprimis tamquam pertinens ad notas individuantes temperamenti, per excellentiam subiectum characteris nominatur.

B. Subjectum characteris theologice consideratum.

Non est hic opus explicare idem esse subjectum psychologicum et theologicum characteris. Si vero intercedit aliqua differentia, procedit illa ex modò quo philosophus et theologus considerat hominis facultates.

Philosophus enim considerat illas solo lumine rationis secundum propriam naturam ex immediatis rerum causis; theologus autem investigat illas lumine revelationis rationisque secundum quod dicunt ordinem ad Deum ex prima causa.

Hoc ultimo sensu facultates hominis propter peccatum originale declinasse dicuntur ab ordine in statu naturae integrae habito.

„Cum peccatum originale sit peccatum naturae, sicut natura humana ex multis partibus componitur, ita multa conveniunt ad originale peccatum, sc. defectus diversarum partium humanae naturae"[2]). Jam vero, multa ista quae ad nos perveniunt per originem ex peccato primi parentis, sunt:

1⁰. carentia gratiae gratum facientis, quae est radix caeterorum donorum in ratione justitiae originalis, et per quam mens perfecte subdebatur Deo;

2⁰. carentia scientiae naturalis ex cujus privatione ratio, in qua est prudentia, eliditur e suo ordine ad verum, unde resultat—vulnus ignorantiae;

---

[1]) De malo, qu. 4, a. 2.

[2]) De Verit. qu. 25. a. 6 ad 4; I, II qu. 46. a. 5; II, II qu. 156, a. 4; Com. in VII lib. Eth. lect. 6.

3°. carentia rectitudinis qua voluntas, in qua est justitia, ordinabatur ad bonum, unde—vulnus malitiae;

4°. carentia roboris, quo constituitur pars irascibibilis in qua est fortitudo, ordinabatur ad arduum, unde—vulnus infirmitatis;

5°. carentia ordinis quem constituit pars concupiscibilis, in qua est temperantia, dicebat ad delectabile moderatum ratione—vulnus concupiscentiae;

6°. carentia vigoris quo homo reddebatur liber a morte et ab omnibus defectibus corruptionis et dolorum praesentis vitae[1]).

Instituentes tamen examen subjecti characteris christiani, necesse est animadvertere quaenam ex his multis, quae in originali peccato includuntur, tollantur per gratiam baptismi, ut sic appareat non solum facultatum aptitudo, sed etiam melior dispositior ae um ad subjectum virtutum characteris, propter concurrentiam virtutum et donorum infusarum cum gratia.

Per infusionem itaque gratiae divinae, quae est perfectio personae. tollitur illa naturae infectio quae ex natura in personam devolvebatur, ac perinde: 1°. tollitur defectus seu privatio gratiae; 2°. remittitur culpa; 3°. deletur macula, 4°. consequenter solvitur reatus poenae et redditur jus ad praemium quod gratiae debetur; 5°. reintegratur subjectio mentis ad Deum ac rectitudo ipsius voluntatis; 6°. minuitur dispositio ad malum quae *fomes* et *concupiscentia* dicitur, sed non ex toto tollitur, quia illa dispositio sequitur conditionem naturae, et baptismus non purgat naturam nisi quantum pertinet ad infectionem personae; 7°. perinde remanent poenae quae debentur originali peccato, secundum quod naturam inficit, ut passibilitas, fames, sitis, dolor, necessitas moriendi.

Intercedit itaque quaestio de bono naturae integrali sive de habitu primorum principiorum moralium, quo modo bonum naturae supernaturali per gratiam restituitur et bonum naturae essentiale per peccatum originale neque tollitur neque diminuitur.

Ratio et voluntas quae principaliter sunt subjectum characteris et conveniunt synderesi nihil novi apportant huic considerationi. At appetitus sensitivus, propter fomitem peccati relictum in concupiscentia aliquos attentionis dignos aspectus praebet.

---

[1]) I, II, q. 85, a. 3.

Concupiscentia, sic dictum materiale elementum peccati originalis [1]), est moralis deordinatio per modum habitus constitutivi corrupti inhaerens naturae humanae ut radici potentiarum [2]), quae naturaliter sunt subditae rationi, propter fomitem autem peccati omnes illae potentiae, praecipue autem passiones concupiscibiles, destitutae sunt vigore justitiae originalis, atque sibi absque freno relictae, inclinans eas ad objectum praeter ordinem rationis, contra naturam hominis ut est homo et ut est a Deo institutus.

Hujusmodi concupiscentia, ut patet, non signifcat tantum appetitum concupiscibilem, sed etiam irascibiem[3]).

Inter subjectum habitus et per consequens characteris, illa potentia appetitus sensitivi habet praeeminentiam, quae magis correspondet notis individuantibus personae moralis atque indiget firmitate. Atqui appetitus irascibilis prae se fert omnes has exigentias, ut ex supra dicitis patet. Ergo.

Licet ponere aliquam explicationem circa infirmitatem seu inaequilibrium temperamenti.

Inaequilibrium temperamenti procedit ex hoc quod aliquis humor non subditur virtuti regitivae complexionis, v. gr. cum aliquis humor excedit in caliditate vel frigiditate vel in aliquo hujus modi. Unde cum aliqua affectio non est temperata secundum regimen rationis, habetur infirmitas characteris[4]). Et hoc maxime contingit secundum affectiones appetitus sensitivi, praecipue vero in irascibili, quae est subjectum timoris. Ac proinde homo non dominans huic passioni fit pusillanimus et timidus, quae tamquam paralysis immobilitat omnem connatum in acquirendo characteris[5]).

Et quamvis appetitus concupiscibilis magis vitiatur in ardoribus sexualibus, ita ut infectio prae primis attribuitur sensui tactus et inter omnes potentias animae generativae, tamen irascibilis quantum pertinet ad naturam individui et consideratur ex parte complexionis maxime infirmatur et requirit firmari habi-

---

1) Sum. theol· I, II, q, 82, a. 3.

2) Sum. th. I, II, q. 82, a. 1.

3) Ibid. a. 3 ad 2 m.

4) Sum. theol. I, II qu. 77, a. 3; ib. q. 85, a. ad 4. De malo, qu. III, a. 9; Com. in II l. Sent. dist, 22, qu. 2, a. 2 ad 5 m.

5) Sum. th, I, II, q. 25, a. 1; qu. 41, a. 2 ad 3 m; qu. 42, a. 3 ad 2 m; qu. 43, a. 2 ad 3 m.

tibus[1]). Ergo concupiscibilis cedit locum irascibili tamquam subjecto principali characteris et virtus ejus merito dici potest virtus principalis characteris.

PRINCIPIA CHARACTERIS.

Generatim principium importat ordinem estque primum in eodem. Ordo autem in charactere geminus est: intentionis et executionis. Intentionis ille complectitur habitus, quibus persona moralis disponitur ad operiatonem (tamquam ultimam suam perfectionem); ordo exsecutionis vero ipsa est operatio finem consequens vitae. Igitur principia characteris pariter geminantur sunque internum externumque.

A. Principia interna characteris.

Principium internum characteris est voluntas, domina propriae physiognomiae moralis, ordinante ratione. Voluntas autem in suo interno motu maxime perficitur habitu; quare de habitus ratione videtur esse voluntarium, quum definiatur quo quis operatur quum vult. Primum ergo principium constituens characterem sunt habitus[2]).

Habitu tota vita moralis regitur, iisdemque moralitas, operis videlicet ad finem relatio perficitur. Retatio seu ordo essentialiter in se concludit firmitatem et diuturnitatem sive in fixis sive in mobilibus v. gr. in systemate solari. Nam homo ut exsistit per formam, ita operatur per habitum, dirigentem actiones ad finem facilitate, delectatione, finis capessendi amore, adeoque moralitatem suam debet homo bonae voluntati fideique, affectui, praeparationi magis quam actibus: deficiente habitus deficient nervi! Itaque supremus finis dominando habitibus hominis toti

---

1) Qu. Disp. De Ver. qu. 25, a. 6 et ad 4 m. „Sed quantum ad naturam individui sunt magis naturalia peccata irascbili... major transmutatio et commotio corporalis complexionis fit ex motu irae, quam concupiscentiae... In peccatis irae magis imitantur filii parentes quam in peccatis concupiscentiae". Cf. I, II, qu. 84 a. 4,

2) S. theol. I, II, qu. 49, S. Thomas in prologo notat: „Principium autem intrinsecum est potentia et habitus...

dominatur vitae: „Quidquid agis, prudenter agas et respice finem“.

Jam nemo erit. quin videat, quam eminentes partes agant habitus in vita humana eosdemque esse principia characteris interna personam notis propriis juxta modum recipientis individuantia.

Habitus quum definiatur status quo bene vel male disponitur subjectum erga se alterumve convenientia ad naturam propriam vel disconvenientia, duplex species characteris ejusque principii interni assignatur; character bonus malusve principium internum habitus boni malive[1]).

In genere ergo habitus sunt principium internum characteris, in specie vero ipsimet conflant supremam speciem virtutem vitiumve.

Nos considerantes characterem sensu christiano—qui deceat finem hominis ultimum, solis incumbemus habitibus bonis seu virtutibus.

Virtus humana est habitus.

Eaedem rationes, quibus cogimur agnoscere virtutem esse perfectionem facultatis et proportionem potentiae ad actum conformandum naturae sui principii, obligant nos affirmare virtutem esse habitum, quia ipsa disponit facultatem ad actus.

Solida S. Thomas argumentatione dirimit[2]) controversiam. Virtus nominat ultimam perfectionem potentiae, respectu finis et respectu operationis quae potest esse finis vel medium ad finem assequendum, quando potentia suam ultimam perfectionem attingit i. e. finem vel quando sistit et completur per actum.

Sunt autem quaedam potentiae, ut naturales, quae inclinantur et determinantur sua virtute ad actum neque indigent ullo principio determinari ad proprium objectum; aliae, ut humanae, sunt indeterminanatae sua natura et indifferentes ad suos actus, adeoque indigent virtute distincta a sua potentia ad illam applicandam et determinandam operatione, quae virtus dicitur habitus. Et ideo *„virtutes humanae sunt habitus“* concludit Angelicus.

Sicut in definitione characteris dictum est causam formalem ejus esse habitus morales operativos, pari jure concludendum est virtutem moralem, quae ponitur tamquam principium proximum, internum potentiis rationabilibus ad operandum, pertinere ad eandem causam characteris. S. Thomas hoc clare probat in Summa Theologica I, II, qu. 55, a. 2.

---

[1]) Sum. theol. I, II, qu. 54, a. 3.

[2]) Ibid. qu. 55, a. 1.

Nunc progrediamur virtutes characterem constituentes determinatum. At prius quaedam in mentem revocanda dictorum in definitione, characteris, quaedam supponenda. Supponimus probatum virtutem esse habitum [1]) bonum et operativum.

Definivimus characterem complexum habituum moralium; nunc complemus — complexum *virtutum moralium.* Patet hoc causa finali characteris atque connexione virtutum[2]). Virtutes morales dicuntur acquisitae sive quoad substantiam seu stricte acquisitae, sive quoad ultimam moralem perfectionem seu imperfectae naturales quae ultimam perfectionem nondum attingerunt.

Praeter virtutes acquisitas exsistunt, quarum homo habeat usum activum vel passivum tantum, ut sunt virtutes infusae et dona Spiritus Sancti. Haec inter alias tessera doctrinae christianae hominem esse elevatum ad ordinem supernaturalem, imo vivam imaginem Sanctissimae Trinitatis, consequenter charactere supernaturali fulgere debere iisque adminiculis dotari quibus fretus Deum, finem ultimum suum, attingere valeat.

Quum character non simplex virtus, at complexus virtutum sit, patet virtutes hominis fini servientes characteris esse; numerantur autem quatuor eaedemque cardinales dictae. Eas vocarunt cardinales, quandoquidem cardinum ritu totam vitae humanae fine ultimo dignam portant voluntque molem. Etiam principales vel generales—propter extensum intensumque principatum, quem in ceteras exercent virtutes more ducum[3]). Sunt autem: prudentia, justitia, fortitudo, temperantia. Hujus numeri ratio indicatur a s. Thoma in I, II, qu. 61, art. 2. Juvat hic notare, quam bene istae quatuor quadrent psychologiae characteris, dum prudentia intellectui, justitia voluntati, temperantia concupiscibili, fortitudo irascibili congruunt[4]).

Quomodo istae virtutes concurrant ad characteris formationem, aperi thesaurum divi Thomae, qui in Xem libros Ethicorum suis commentariis pulcherrimos tractatus praebet, ut in

---

[1]) Sum. th. I, II, q. 55, a. 2, a. 3.

[2]) S. Thomam audiamus: „omnes virtutes morales parfecte connectuntur prudentiae inter se ita, ut nulla virtute quisquam perfecte utatur sine prudentia, nec quisquam sit perfecte prudens in ulla virtute, quin bene disponatur praestante perfectoque habitu omnium virtutum" Ibid. qu. 65, art. 1-5.

[3]) IV Sent. dist. 33, qu. II, a. 1; cf. I lib. Eth. lect. 8; Qu. disp. De Virt. Card. qu. 1, a. 1.

[4]) Sum. theol. I, II, qu. 56.

lib. VI de prudentia, lib. V de iustitia, lib. III et IV de fortitudine et temperantia. Postea consules fructuose opuscula eorum qui connantur vetera novis augere[1]).

Restant pauca verba de principiis internis caracteris supernaturalis.

Virtutes theologicae.

Ratio et voluntas trahuntur ad Deum naturae principium finemque conceptibus universalibus veri bonique atque naturali appetitu felicitatis. At praeter virtutes morales characteris naturalis opus nobis sunt alia principia quibus homo trahatur ad Deum tamquam per se creatura media nulla, beantem. Atquin talia, principia Deus reapse donavit homini suntque virtutes supernaturales, ut appellarunt docti, theologicae, quarum ope sic meretur homo beatitudinem supernaturalem, sicut principiorum naturalium ope naturalem[2]).

Virtutes infusae.

Verumtamen mons perfectionis christianae tam altus tamque ascensu arduus, ut evincere solis theologicis virtutibus nequeat homo. Quapropter Deus infinite prodigus superinfundit virtutes, quas vocarunt infusas morales.

Effectus enim oportet esse suis causis et principiis. proportionatos. Atqui omnes virtutes intellectuales et morales, quae ex nostris actibus acquiruntur, procedunt e quibusdam naturalibus principiis in nobis praeexistentibus, et in ordine ad finem naturalem; loco quorum naturalium conferuntur nobis a Deo virtutes theologicae ad finem supernaturalem. Ergo virtutes morales ac-

---

[1]) „C' est l' aptitude à se déterminer soi-même, en chaque occurance, d' une façon raisonnable, avec rapidité et fermeté, à agir toujours d' une manière cohérente, suivant des rêgles qui peuvent être ramenées à une seule, que l' on suit sans hésiter, même s' il faut de l' héroïsme pour n' y point faillir. L' homme de caractère est juste et bon, soucieux de sa dignité personnelle, orienté vers un idéal; il est toujours prêt à l' effort, mais il semble faire sans effort; il se juge le plus libre au moment même où il se fait le plus de violence; il est libre même quand il se lie; il se sent il se veut indépendant des autres, et pourtant il est éminemment sociable, disons mieux, social et socialisable; il possède jusque dans sa passion parce qu' il n' a que les passions qu' il consent à avoir; il ne fait jamais que ce qu' il veut, parce qu' il ne veut en quelque sorte, que ce qu'il veut vouloir... Enfin il est celui dont la personnalité s'impose" *Albert Leclère.* L'éducation morale rationnelle. Paris, Hachette, 1909, p. 14-15.

[2]) Sum. theol. I, II, qu. 62, a. 1.

quisitae non proportionantur theologicis virtutibus, sed oportet morales virtutes infundi quae iis supernaturalibus principiis proportionentur, quasi ad eundem ordinem divinae perfectionis pertinentes et perficientes hominem in iis quae ad ultimum finem supernaturalem pertineant[1]).

Dona Spiritus Sancti.

Sicut character naturalis quoad substantiam elaboratur principio movente interius ratione, ita character supernaturalis quoad substantiam elaboratur a Deo, a principio movente exterius. Ratio humana acquirit virtutes morales suae congruas naturae, Deus infundit virtutes supernaturales sive theologicas, sive morales in ordine ad finem ultimum. Atqui hic unus est perfecte dominans universorum singulorumque et substantiae et operandi modo. Omnes ergo actus humani debent esse proportionati ad hujusmodi finem assequendum.

Virtutes morales acquisitae proportionantur et quoad substantiam et quoad modum naturae; virtutes morales infusae et theologicae proportionantur fini ultimo quoad substantiam non quoad modum, quia homo utitur illis per rationem lumine supernaturali illustratam. Necessariae sunt igitur aliquae dispositiones, quibus actus humanus sit proportionatus ultimo fini et quoad substantiam et quoad modum.

Hic accedunt dona Spiritus Sancti quae sunt habitus supernaturales a Deo simul cum caritate et mediante illa infusi, a virtutibus infusis distincti, quibus mens humana, ut instrumentum, perficitur ad prompte obediendum Spriritui Sancto inspiranti, moventi ad actus virtutum excellentes intuitu vitae aeternae[2]).

Ducimur itaque ad duplicem characterem supernaturalem distinguendum: imperfectum et perfectum.

Imperfectus constituitur virtutibus supernaturalibus infusis, quorum usus ab homine, substantia a Deo—character christianus.

Perfectus seu character mysticus, quando nec substantia nec usus activus est ab ipso homine, sed usus passivus tantum

---

[1]) Ibid. qu. 63, a. 3. — Consuli etiam possunt: *A. Gardeil* Le gouvernement personnel et surnaturel de soi—même. *Revue Thomiste* 1918 №, 1, 2, 3. M. S. *Gillet O. P.* La virilité chrétienne, Paris, Rome, Desclés 1910, in 16o p. 442.

[2]) Sum. theol. I, II, qu. 68.

relinquitur homini, non quasi motu propriae voluntatis principaliter, sed instinctu Spiritus Sancti inclinantis ad aliquid; magis ergo movetur quam movet. „*Tamen per hoc non excluditur*, ut dicit S. Doctor, *quin viri spirituales per voluntatem et liberum arbitrium operentur, quia ipsum motum voluntatis et liberi arbitrii Spiritus Sanctus in eis causat, secundum illud Philip. II, 13*; „*Deus est qui operatur in nobis velle et perficere*"[1]).

Sic salvatur natura characteris etiam supernaturalis, in charactere naturali principium internum semper est in persona morali nec habetur difficultas, in quantum temperametum supernaturale per usum activum virtutum infusarum transformatur in characterem supernaturalem imperfectum vel per usum passivum donorum aliquo modo concurrit ad characterem mysticum efformandum.

Alioquin non possumus ultra morari, quin finem scribendi nostrum excedamus. Itaque nexu organico inter characterem ejusque habitus naturales supernaturalesque instituto, adunda nobis videntur principia characteris externa.

B. Principia externa characteris.

Praeter principia interna characterem efficientia dantur aliqua principia externa.

Voluntas deliberata, quae est principium internum characteris, non tantum ex appetitu boni et finis movetur, sed necessarium est, ut exteriori principio moveatur ad suum primum actum [2]).

Igitur ponere eo modo quaestionem characteris, est ponere quaestionem magisterii [3]).

---

1) Ep. ad Rom., VIII, lect. 3. Consuli etiam possunt: *Revue Thomiste*, 1899; *B. Froget O. P.* Les dons du Saint—Esprit. Leur nature, leur rôle, leur action dans la vie chrétienne. p. 530-568. — Magis amplum studium ejusdem auctoris. De l'inhabitation du Saint — Esprit dans la sanctification des âmes in 8⁰. 306 p. Paris, Lethielleux, rue Cassette, 10.

2) „Omne enim quod quandoque est agens in actu, et quandoque in potentia, indiget moveri ab aliquo movente. Manifestum est autem quod voluntas incipit velle aliquid, cum hoc prius non vellet Necesse est ergo quod ab aliquo moveatur ad volendum". Sum. th. I, II, q. 9, a. 4.

3) Qu. disp. XI, a. 1, a. 2.

Magisterium definiri potest: principium externum quod subjectum educationis capax ducitur in exercitium et consummationem virtutum characteris. Dicitur principium extrinsecum, quia principium characteris internum est vis naturalis voluntatis deliberatae, in qua praeexistunt quaedam virtutum inchoationes, scilicet habitus primorum principiorum moralium—synderesis[1]). Magisterium se habet ad causandos habitus morales, sicut medicina ad causandam sanitatem. Medicina porro sanitatem non causaret, nisi essent in natura principia sanitatis activa; quocirca medicus in sanatione est minister naturae, quae principaliter operatur. „Quando igitur praeexistit aliquid in potentia activa, tunc agens extrinsecum non agit nisi adjuvando agens intrinsecum, et ministrando ei ea quibus possit in actum exire“[2]).

Porro ratio qua subjectum educationis capax subjicitur hujusmodi principio externo non est alia, nisi quatenus in ipso reperitur vis quaedam sese movendi. Ista vis moralis intellectum et voluntatem juvans est principium activum seu causa exterior et ratione originis superior et perfectior permanens in actione subditorum rationalium quoad finem et quoad media dicitur auctoritas.

Inter paedagogos opus educationis optime resumit Dupanloup dicendo: *„l'éducation est une oeuvre d'autorité et de respect“*, qua thesis probatur in duobus voluminibus sui operis „De l'éducation“.

Quaenam est doctrina s. Thomae de auctoritate, momentum et extensionem hujus elementi inter principia externa characteris sub brevitate transcurrimus.

Essentialis notio auctoritatis procedit ex relatione principii ad principiatum, in quantum principium dicit non prioritatem naturae, sed originis. Quare proinde natura et auctoritas ex opposito se habent, tamquam principium internum ad externum. Ideo actiones naturales nullo modo subjiciuntur auctoritati, ut patet sive in auctoritate ideali in Sanctissima Trinitate sive in auctoritate derivata — humana.

In divinis nulla datur auctoritas ratione naturae, quia in persona Patris, Filii, Spiritus Sancti eadem est natura, sed ratione originis Pater habet rationem principii respectu Filii, Pater

---

[1]) Ibid. I, q. 79, a. 12, a. 13 et ad 3; I, II, q. 94, a 1 ad 2;
[2]) De Magistro, qu. XI, a. 1.

et Filius respectu Spiritus Sancti[1]). Item in humanis e. g. auctoritas patris incipit solummodo cum usu rationis filii.

Conditiones auctoritatis.

Licet ergo omni principio originis competit auctoritas, stricte loquendo habemus ibi has conditiones:

1. superioritatem in sensu prioritatis, sicut habetur in Sanctissima Trinitate in processionibus ad intra: Patris respectu Filii ratione paternitatis et actionis, Patris et Filii respectu Spiritus Sàncti rationc spiritationis, dationis et missionis. In processionibus ad extra id quod convenit Deo, convenit toti SS. Trinitati. Haec auctoritas extenditur in genere ad omne esse qua dicitur Deum esse principium et causam originis omnis creaturae sive quoad operationem. Attamen stricte loquendo, Deus habet auctoritatem in creaturas non ratione creationis, sad ratione eorum quae consequuntur ad creationem. Seu ut Creatori attribuitur auctoritas radicalis; formalis vero auctoritas in ordine intentionis fertur per Providentiam et Potestatem, in ordine autem executionis per conservationem, gubernationem et praemotionem. Tamen per appropriationem haec auctoritas adscribitur tam Deo Patri, quam Filio et Spiritui Sancto, quia Pater est origine ingenitus et per excellentiam Pater est principium originis Filii et Spiritus Sti.

2. Superioritatem quae in suo conceptu involvit aliquod inferius in quod influit, quamobrem ille qui habet auctoritatem consuevit vocari Superior. Ita v. gr. pater qui est superior filio, in quantum est principium activum influens esse et naturam in filium qui passive se habet, licet per accidens ratione humanae naturae excultae potest esse superior patri.

Ille qui habet auctoritatem praeter superioritatem induit aliquam dignitatem et excellentiam quae ei convenit non solum ratione originis et potestatis, sed etiam ratione intellectus et voluntatis.

Non omnino nobis placet distinctio data a Kieffer, quae ponitur inter: „avoir de l'autorité... l'autorité comme une fonction personnifiée dans celui qui commande... l'autorité impersonnelle, légitime de fait de l'investiture régulière et qui ne dépend en aucune façon de la personne qui l'exerce comme simple dépositaire et être l'autorité... l'autorité comme une qualité... la résul-

---

[1]) De potent. qu. x, a. 4.

tante d'un ensemble de qualités[1]), quia omnis auctoritas magis vel minus" est une supériorité physique, intellectuelle, morale, sociale, v. gr, pater, in quantum est pater, non habet eminentiam, quia sub hoc respectu habet aliquid commune cum aliis, eminet tamen, quatenus est capus familiae et habet curam boni communis, quod est perfectius et excellentius bono particulari et sic de caeteris qualitatibus.

Radix auctoritatis est potentia activa quae in auctoritate divina est principium permanens operationis[2]). Quia auctoritas semper tendit ad hoc quod est aeternum, ut patet ex doctrina de origine. Principium actus generationis operatur semper mediante virtute generativa quae est causa instrumentalis. Virtus autam instrumentalis semper manet in generato, ut et in humanis pater manet in filio per virtutem relictam qua operatur filius. Ac proinde educatio est continua generatio.

Officium auctoritatis.

Terminus auctoritatis est ordinem et pacem instituere. Ordo, qui est parium dispariumque sua loca cuique tribuens dispositio, supponit pluralitatem et distinctionem suppositorum ad eundem finem ordinabilium[3]). Auctoritas pares disparesque ad finem ordinando, disponit eos ad media. Omnis enim qui dat et ordinat formam, dat etiam motum ad finem. Pax non est tantum unitas ordinis, sed etiam tranquillitas ejus[4]). Ad hujusmodi tranquillitatem constituendam concurrunt: ex parte ordinis — maxime distinctorum communitatis et partium organisatio eorumque officiorum juxta unicuique propriam naturam determinatio, ita ut singulae partes quaerant propriam perfectionem; accedit denique ultima ratio pacis qua stabilitur praedictus determinationis modus[5]). Hoc perficitur perfecta coordinatione appetituum, nempe quando appetitus naturalis, animalis et intellectivus tendunt in unum; subordinatione omnium appetitorum ad aliquod bonum commune, ut ultimum finem, et concordia voluntatum omnium appetentium.

---

[1]) L'autorité dans la famille et à l'école p. 20, Paris, Beauchesne, 1917.

[2]) De potentia. qu. 1, a. 1.

[3]) Comm. in Ev. Matth. cap 5 vers 2. cf. De pot. q. 7, a. 11; II, II, q. 26, a. 1.— [4]) Sum. th. I, q. 103, a. 3; II, II, q. 29.

[5]) Com. De divinis nominibus cap 9, lect. 1.

Actus auctoritatis.

Auctoritas dirigit subditos ordinatione intimativa, motiva et effectiva[1]). Intimatio exercetur per modum imperii rationis, motio dictat ordinem et primum impulsum dat voluntati, ordinatio effectiva perducit ad executionem operis. Unde principia horum actuum est intellectus practicus, voluntas et potestas. Etenim dirigere, regere, dominare ad intellectum practicum pertinet, imperando movere est causae efficientis — voluntatis et exequi — potestatis.

Tamen praeter ista principia formalia et remota auctoritatis, oportet ponere principia moralia proxima. Nam finis auctoritatis est inducere subditum, ut a principio externo ad id, ad quod ipse per principia interiora inducitur.

Atqui principia interna actuum humanorum sunt potentiae quibus remote homo ordinatur ad actum et ad finem, tum habitus morales et intellectuales, quibus proxime ad bonum opus bene faciendum ordinatur homo. Inde principia actuum exteriorum non tantum debent habere potentiam remotam, sed etiam dispositionem proximam per habitus, ac propterea solus intellectus, voluntas et potestas non sufficiunt.

Quamobrem accedunt intellectui sapientia et prudentia qua subditus proxime intimatur ad finem praestitutum consequendum; amor voluntati quo movetur ad media apta eligenda; justitia et misericordia vero inducitur ad exequendum ea quae sunt media ad finem.

Huic auctoritati ex parte subditorum correspondent aliquae speciales virtutes: pietas exprimit affectum erga principium orginis, magis auctoritati naturali, sicut parentibus, patriae, Deo; observantia seu honor, quo statuitur relatio inter subditos et principium originis, quatenus sunt superiores; obedientia, propria et principalis virtus subditorum, consistit in subjectione voluntatis auctoritati, ut principio directivo actuum humanorum.

Stabilitis principiis auctoritatis, patet ejus mometum. cujus est praemovere et dirigere per praecepta et leges ad virtutes acquirendas[2]). Semper tamen auctoritas manet principium externum et causa instrumentalis in educatione characteris.

---

[1]) Cf. Sum. th. I, II, qu. 92, a. 2.

[2]) Pro s. Thoma proprius effectus legis est homines virtuosos eficere,ut patet in I, II, qu. 92, a, 1; a. 2 ad 4; Contra Cent. lib. III, c. 116.

Omnis enim forma inducitur ab aliqua causa agendi in subjectum, quod habet potentiam vel activam vel passivam. In subjecto autem passivo principale agens est externa causa; in subjecto vero habenti potentiam activam est ipsum subjectum. Atqui virtus est in potentia activa subjecti. Ergo principale agens characteris est ipsum subjectum.

Auctoritas seu agens secundarium se habet per modum instrumenti relate ad agens principale et quidem vel adjuvando virtutem vel praebendo ei materiam sollicitando activitatem et hoc dupliciter: negative — removendo obstacula ad actus, positive — virtutem in suo semine jam existentem interius roborando.

En quomodo ex quaestione de auctoritate, tamquam ex radice, pullulant et ipsa nituntur quaestiones maximi momenti in scientia paedogogica, ut docilitas et disciplina, obedientia et libertas etc...

Non putamus nostrum hic esse intrare in copiam hujus materiae, quae optime sunt scripta quoad conclusiones a multis eminentibus paedagogis. Consuli tamen possunt auctores: *Foerster*: Schule und Character, *Kieffer*, *Dupanloup*, *Gillet*: La valeur éducative de la morale catholique, l. I ch. III, IV; l, III, ch. I, II, IV. *Leclère*: L'éducation morale rationnelle c. IV, c. V. La famille comme agent principal de moralisation; L'école comme agent secondaire de moralisation; - *R. Lavollée.* L'Etat, le père et l'enfant. Paris, Plon, 1914, II p. ch. I, II, III, IV.

CAPUT III.

FORTITUDO EST PRINCIPALIS VIRTUS CHARACTERIS.

Primo aspectu nostra thesis paradoxum videtur. In definitione enim characteris diximus illum esse complexum habituum moralium seu virtutum. Qua igitur ratione ausi sumus affirmare fortitudinem esse principalem? Iterum qui studuerunt s. Thomae bene sciunt fortitudinem solummodo in ordine virtutum cardinalium tertium locum tenere. Quo igitur iure attribuimus fortitudini principatum, forte nos alio sensu illam sumimus?.

Ne male interpretemur, oportet aliquas rationes jam in ipso initio ponere.

Concedimus, sicut jam dictum est, ad characteris constitutionem omnes virtutes aliquo modo debere concurrere sive sint naturales sive supernaturales. Et hic conformes sumus cum doctrina s. Thomae de connexione virtutum. Sed aliquae earum speciali modo intrant in characteris ambitum. Pariter agnoscimus rationes per se pro hierarchia virtutum, nil tamen prohibet, quominus per accidens, ratione alicujus circumstantiae ille ordo mutatur. Propterea loquendo de fortitudine, tamquam principali virtute characteris in sensu stricto, redibit ratio principatus ob circumstantias characteri proprias, sicut v. gr. castitas, licet per se pertinet ad temperantiam, ratione tamen pulchritudinis est principalior, vel religio altior est prudentia, licet ut pertinens ad justitiam est sub prudentia, sed ratione objecti materialis quod est cultus Dei et quod eminet bono humano dici potest principalior prudentia.

His jam praenotatis pacato animo accedimus ad explanationem thesis.

Quia nostrum studium de fortitudine principaliter nititur doctrina s. Thomae, oportet indicare fontes hujus quaestionis. Item notare, ex quibusnam principiis s. Thomas hauriat suam doctrinam, atque tractantes characterem naturali supernaturalique spectu signare hujusmodi loca. Ita quod ordo elaborati disponitur:

1. Fontes et quidem:

1°. a) principaliores, ubi Doctor Angelicus tractat ex professo de fortitudine, sicut in Com. X libr. Ethicorum libr. III, lect. 14, 15, 16, 17, 18; III libr. Com. Mag. dist. 33, qu. 3, art. 3, quatuor auctores qui ex professo de fortitudine scripserunt exponit et tentat eos conciliare, nempe Tulium, Macrobium, Aristotetem et Andronicum. Haec de fortitudine naturati.

b) De fortitudine vero supernaturali stricto sensu in Summa Theologica II, II, qq. 123-140; late omnes virtutes theologicas, dona Spiritus Sancti, speciatim de spe ib. qq. 17-22 et dono fortitudinis, ib q. 139.

2°. minus principales: Sum. Theol. I, II, tractatus de virtutibus in genere, in quantum character hominis firmatur contra pericula et infirmitates sc. qq. 55, 56, 59, 60; praecipue illa vir-

tus quae prae caeteris firmitatem et unitatem characteri confert, ibid. q. 61. de virtutibus cardinalibus.

Inter principia fortitudinis considerantur principia:

1⁰. metaphysica, ut in Com. in V libr. Metaph. lect. 14, p. 954-966 secundum Cathala; Poster. Anal. lect. ult.

2⁰. psychologica, Sum. Theol. I, II, qu. 6 notio voluntarii — posse agere; notio imperii sibi et aliis qu. 17; et usus qu. 16, quantum ad propria membra; item tractatus de passionibus in genere de subjecto passionum qu. 22, a. 2, 3; qu. 23 per totum de differentia earum; qu. 25 de ordine passionum ad invicem, per totum; in specie de passionibus irascicilis et quidem de timore qq. 41-44; de audacia qu. 45; de spe qu. 40.

3⁰. theologica, a) Deus — exemplar fortitudinis Sum. Theol. I, qu. 25 de potentia Dei et Qu. Disp. qu. 1 et 2.

b) exemplar homogeneum — de statibus fortitudinis secundum diversos status hominum: aa) in statu naturae integrae et gratiae fortitudo idealis in Sum. Th. qu. 95, art. 1 interna et supernaturalis per gratiam; art. 2 derivata ad passiones — dominium sui; art. 3 dominium virtutem; fortitudo derivata ad alios — dominium super alias creaturas qu. 96, a. 1, 2; bb) in statu naturae lapsae ibid. I, II, 109 de infirmitate seu impotentia absque gratia; ibid. qu. 85, a. 3 de vulneribus naturae, praecipue de infirmitate in irascibili; qu. 77. a. 3, de peccato ex infirmitate; cc) in statu naturae reparatae de fortitudine in Christo — causa exemplari. Ibid. III. qu. 41 per totum; per participationem in Sacramento Confirmationis in nobis ibid. qu. 72.

Certum, dantur etiam alii loci ubi d. Thomas tractat de hac materia, sed haec sufficiunt ad solvendam nostram quaestionem, neque nos tentabimus omnia elaborare, nisi ea tantum quae directe pertinent ad illam dirimendam.

A. Fortitudinis natura in suo conceptu metaphysico.

Fortitudo et virtus in sua origine eaedem[1]. In genere fortitudo significat omne principium agendi, sicut dicitur de viribus

---

[1] Vertu. Le mot vertu (virtus, de vir, home ἀρετή de ἄρης Mars la guerre) ne signifiait dans l'origine que le courage, la qualité qui distingue l'homme de la femme, et qui se montre surtout dans la guerre. Puis, comme

naturae, sed magis speciali ei modus attribuitur, quo exprimitur ultimum potentiae secundum quam aliquis potest resistere corrumpentibus. Hac ultima acceptione sumpta fortitudo subjicit analysi conceptum metaphysicum fortitudinis.

Potentia a verbo posse derivatur. Inter entia quoddam potest esse; quoddam vero jam est: illud quod potest esse dicitur esse potentia; illud quod jam est dicitur esse actu. Itaque potentia et actus ex mutua ad invicem comparatione innotescunt: potentia est inchoatio, actus complementum.

Neutrum potest proprie definiri: potentia quippe intelligitur per actum, actus vero est dē primis simplicibus, quae definitionem strictam non patiuntur, cum non constent genere et differentia.

Potentia in genere ex Aristotele describi potest: principium agendi vel patiendi. Principium autem sumi potest vel proprie prout designat aliquam realem capacitatem in reali subjecto existentem, et tunc dicitur potentia realis seu subjectiva; vel improprie, in quantum innuit realem capacitatem non in ipsa re, sed solum in causa externa, quatenus nempe repugnat ei, ut ab aliqua causa producatur; et ita dicitur potentia logica, objectiva, aut simplex possibilitas.

Secundum hanc acceptionem potentiae, multi indicantur modi ejus. Primus modus est potentia activa, cujus principium motus et mutationis est in alio, in quantum est aliud, id est, principium transmutandi aliud, quatenus est aliud. Haec ultima verba scite adjunguntur. Principium quippe activum, seu transmutans, potest inveniri in eo quod patitur et transmutatur, at non secundum idem movetur et movet, sed secundum diversa: homo v. gr. se movet secundum cor, movetur secundum alias partes.

Haec potentia potest esse duplex: potentia activa aliquid agendi simplicier secundum substantiam actus, et potentia activa perfecta agendi aliquid non quomodocumque, sed bene aut secundum „praevoluntatem,“ id est secundum quod homo dispo-

---

il faut aussi de la force et du coürage pour résister à la passion, à la tentation du mal; on a désigné sous le même nom la pratique habituelle du bien car pour mériter le titre de vertueux, ce n'est pas assez d'un petit nombre de bonnes actions, il faut que nous ayons acquis la qualité, c'est-a-dire la force nécessaire pour préférer toujours le bien au mal. C'est cette force fixée en nous par l'habitude, que l'on appelle vertu. p. 1758, 9. *Franc.* Dictionnaire des sciences philosophiques. Paris, Hachette. 1885.

nit potentia activa quantum ad modum actus. Ista potentia est perfectissima, quando ipsa est in dominio agentis, tunc agens nullo modo patitur a sua potentia activa et vocatur ultimum potentiae tendens in supremam agendi rationem.

Si illa invenitur in agentibus naturalibus, dicitur virtus naturalis, neque distinguitur ab ipsa potentia activa, nisi quoad modum et intensitatem. Si vero adest in agentibus moralibus, nominatur virtus moralis, et distinguitur a potentia activa, quia non est naturaliter congenita, sed acquisita a propria sua potentia activa. In quo casu virtus moralis est summus gradus potentiae et quoad substantiam et quoad causam seu potentia activa perfectissima.

In omni virtute sicut et in fortitudine datur duplex principium: unum principium efficientiae, in quantum est motus, unde robur in fortitudine, alterum est principium formale et finale ex parte ordinis, specificationis et finalisationis seu motus determinatus, ut in fortitudine motus ad sustinendum vel aggrediendum. Secundum hoc duplici elemento potentia activa constituitur: quantitativo et qualitativo. Primum elementum causatur a principio efficiente secundum appetitum alterum a principio specificationis secundum formam. Ita quod possumus loqui de viribus hominis in quantum elementum quantitativum continent; „les forces de la nature“ et de iisdem viribus in quantum elementum qualitativum comprimit: „les forces de l'âme.“

Iterum potentia activa ad duo potest ordinari: ad actionem, quae vel est immanens seu perficiens ipsum agentem, vel transiens in agentem exteriorem et quidem formaliter in materialibus agentibus, virtualiter vero in spiritualibus; et ad effectum in agentibus formaliter vel virtualiter transeuntibus.

De ratione potentiae activae est, ut ordinetur ad operationem, non vero ad productionem, quod ei accidit. Neque enim in naturalibus agentibus, neque in moralibus hoc ei est necessarium, sed tantum in artificialibus, quia opus perfectum est finis artificis. In naturalibus, in quibus effectus a potentiis ejus gignitur accidentaliter propter disjunctionem producti ab agente et ob alias externas circumstantias, saepe saepius impeditur quominus effectus sequatur. Multo magis hoc apparet in moralibus, quia primum intentum naturae est perfectio subjecti. In illo solo autem est perfectio, in quo est finis. Finis agentis moralis est finis operantis non vero operis, quia omnis actus moralis est per ex-

cellentiam immanens, vitalis, nec mensurari potest ejus qualitativa operatio. Et homo virtuosus non laudatur propter opus, sed quia ipse in se est perfectus. Ob hanc rationem merito dici potest fortitudo non tam agitatur, quam potius non terretur periculis, non sistitur arduis. Propterea s. Doctor inter actus fortitudinis principatum assignat sustinentiae potius, quam aggressioni[1].

Perfectio potentiae activae est operari tota sua virtute intensive non autem extensive, quia intentum ejus est operatio et non factio. In moralibus homo intensissime operatur, sicut in cohibitione timoris et audaciae moderatione facit virtus fortitudinis, omnino indifferens ad numerum operum eorumque successum. Unde fortitudinem oportet reduci ad causam liberam suae operationis, quae est universalis nec determinata ad particularem effectum, aliis verbis est causa aequivoca, quae non exhauriens totam suam virtutem relate ad effectum, reservat sibi energias necessarias. Quam ob rem distinguitur a causa univoca, quae producit aequale effectum secundum eandem rationem specificam et tota manifestatur in suo effectu nihil sibi virtutis relinquens, ut sunt potentiae naturales necessariae, v. gr. potentiae generativae; et a causa analoga, quae producit effectum secundum aliquam rationem genericam; illa causa est quidem universalis relale ad effectum particularem suam vim in plura expandendo, sed non est libera relate ad suos effectus, v. gr. sol.

En absolvimus analysim potentiae activae deducendo consectaria relate ad notionem metaphysicam fortitudinis.

Potentia passiva.

Secundus modus potentiae est potentia passiva, vel capacitas aliquid recipiendi, in qua notione includitur subjectum quod acquirit. Porro aliter se habere ac prius est transmutari. Haec potentia juxta Aristotelem describitur: principium motus vel mutationis ab altero, inquantum est aliud, id est principium recipiendi transmutationem ab alio, in quantum est aliud. Adjunctum ἕτερον jam novimus, cur addatur: aliquid pati potest a seipso, sed non secundum idem: homo potest moveri a seipso at alia est pars movens, alia pars mota. Quocirca potentia passiva designat aliquod principium quod potest transmutari et moveri. At principium passivum, cum non habeat actu perfectionem quae

---

[1]) Sum. theol. II, II, qu. 123, a. 6; cf, ibid. a, 3, a. 8, 10, 11 et qu. 124, a. 2; qu. 141 a. 2 et 3.

est per transmutationem acquirenda, exposcit aliud quod illam perfectionem tribuat, seu quod possit transmutare. Quare non datur potentia passiva sine relatione ad potentiam activam. Hoc modo una reducitur ad alteram. In quantum inter istas duas potentias habetur obstaculum reddens impossibilitatem actuari potentiam passivam, stricto sensu non datur ens potentiale, seu habetur potentia pure passiva.

Igitur sedulo distinguendae sunt diversae expressiones s. Thomae, ut: potentia quae potest significare: potentiam activam et passivam, in graeco „δυναμις et ἐνέργεια“, Potentia activa strictius sumitur pro potentia ἐνέργεια.

Virtus jam non significat simpliciter potentiam, sed complementum et perfectionem ejus a quo ponitur in ultimo; est potentia perfecta, activa prompte disponens ad agendum. Virtus sumi potest triplici sensu: vel ut virtus naturae, in quantum est in rebus naturalibus „les forces de la nature“, nom sous lequel on englobe les causes inconnues de certains mouvements de la nature: éléctricité, chaleur etc..., vel proprie pro virtute superaddita et non congenita, v. gr. virtues intellectuales, infusae, vel strictissime est virtus quando exprimit ultimum complementum potentiae activae acquisitum a repetitis actibus ipsius potentiae, seu est virtus acquisita moralis, virtus per excellentiam;

potestas nominat potentiam activam et praecipue virtutem cum excellentia. Et quia excellentissimum est operari circa bonum commune, inde qui habet virtutem operandi circa tale bonum dicitur habere potestatem, ut princeps, paterfamilias;

vis potest significare omne principium, sed praecipue principium efficientiae. Et quia principium efficientiae magis se manifestat in illis quae violenter agunt, quare a philosophis et juristis vis, virtus activa intelligitur violenter agens in aliud; denique

facultas est vis activa quae habetur ad nutum.

B. Fortitudo in suo conceptu psychologico.

Potentia activa in moralibus est voluntas deliberata, quae licet unico principio formaliter constet, materialiter tamen duplici: altero efficiente actus humanos ad modum motus; altero finali, ratione deliberante ad modum principii dirigentis, specificantis.

Quidquid exercitu et motus physici, reducitur ad voluntatem, quidquid specificationis — ad rationem [1]). Item, ut alibi innuimus, actiones quae a voluntate procedunt, aliae dicuntur elicitae, aliae imperatae.

In potentia activa humana triplex principium statuitur: principium d i r i g e n s, intellectus et ratio, cujus est dare actui humano formam et finem. Causarum prima in ordine perfectionis est finalis, quia per causam efficientem imprimit formam in materiam, constituendo actum humanum in determinata specie. Principium i m p e r a n s — voluntas directa ratione et mediante voluntate potentiae ab ipsa imperatae et quidem potentiae appetitivae politico modo et mediantibus his potentiae sensitivae motivae despotico modo [2]). Principium e x e q u e n s applicando potentias operationi sive illae suut potentiae animae, sive habitus potentiarum, sive organa corporis membra, primo et principaliter est voluntatis, tamquam primi moventis, rationis tamquam dirigentis et aliarum potentiarum tamquam exsequentium, quae applicantur ut instrumenta principali agenti voluntati [3]).

Multiplex acceptio fortitudinis.

His praenotatis, ponimus diversas notiones fortitudinis, videbimusque quo sensu acceptae maxime conveniant characteri.

Tot tantisque characteris definitionibus perlectis unum elementum commune videtur omnibus auctoribus, nempe fortitudo animi seu voluntatis, fere semper ei attribuendum. At quo sensu? Ad tres acceptiones cunctae reduci possunt.

Latissimo sensu fortitudo indicat fixum perfectumque quodcunque, ut virtus resistens contrariis constansque. Primo usu potentiae naturales dicuntur vires naturae, scilicet virtutes, eodem modo perpetuo se habentes in propria phaenomena, quoadusque maneat integra natura, ut tantum sit deficere enengiâ, quantum potentiâ.

Philosophia stoica. sistendo partim in metaphysica Heraclidis statuit fortitudinem, principium omnium rerum, summam energiarum tum potentialium tum actualium semper constantem eandemque, omnibus vitam tribuentem. Ceterum systema virium non intelligitur aliarum, quam physicarum; stoicorum fortitudo est

---

[1]) Cf. Sum. theol. I, II, qu. 9, a. 3, a. 1.

[2]) Cf. Sum. th. ibid. qu. 17, a. 1.

[3]) Sum. teol. I, II, qu. 16, a. 1.

ignis subtilis. Haec conceptio fortitudinis pantheistica colorem materialismi prae se ferens dominatnr theoriae cognitionis et moralitatis stoicorum.

In philosophia recenti Leibnitzius restauravit ideam fortitudinis. Critica ejus atomismi conducit eum considerare universum tamquam compositum simplicium et spiritualium virium, quas monades vocabat. Mundus ei, ordo virium, quae ad varios gradus evolutionis pervenerunt.

Materialismus saec. XIX eidem favens notioni fortitudinem interpretatur sensu contrario. In famoso suo libro „Kraft und Stoff", Büchner defendit thesim non existere vim sine materia nec materiam sine vi.

Denique Spencerus fortitudinem asserens principium, quod definiri nequeat, vult tamen ipsam esse causam omnium phaenomenum universi: physicorum, vitalium, psychologicorum, moralium et socialium. Nos quidem rejicimus conatum ad motum pure mechanicum reducendi omnia. Admisso systemate scholastico de materia et forma dicimus: existere in corporibus duplex elementum: unum materiale, radicem quantitatis, principium invariabile, in quo summa energiarum manet semper eadem; alterum formale, specificativum, unitatis et activitatis causam, principium dirigens et dominans materiae. Solam scientia evincere potest identitatem moralem in energiarum summa, de identitate vero qualitatum vel etiam de identitate formali quantitatis silet et perpetuo silebit, eae quippe objecta sunt philosophiae.

Secundariae vires naturales transponuntur ad potentias rationales et sensitivas significando in genere qualitatem animae usu firmatam atque aliqua disciplina roboratam. Hoc sensu fortitudo notionem cujuscumque habitus induit in quo, jam sermo est de energia spiritu facta, potentia animae redditur prompta ac ultimo determinata ad motum sive actionem.

Invenimus in natura humana, miro ordine vires tam naturales quam spirituales accumulatas atque subordinatas homini, in quantum animali rationali. Ob quam rationem dici potest homo habere temperatissimam complexionem, seu omnes vires proportionaliter potentiis distributas, dum in animalibus illae semper in excessum redundant. Pulchre hoc s. Doctor ostendit in I, qu. 91, a. 3 respondendo ad quaestionem, utrum corpus hominis habuerit convenientem dispositionem.

Fortitudo lato sensu. 1⁰. ex notione habitus.

Characteri igitūr haec ultima acceptio fortitudinis convenit, in quantum hominem reddit animosum strenuum jussis, tenacem propositi[1]); atque haec fortitudo generalis attribuitur potius viris. Saepe characteri et temperamento fortitudinem eandem tribuerunt, at perperam. Nam saepe saepius tenacia temperamenti pertinacia, est quae determinando animum ad unum et quidem circa media vehementer mentem sistit neque proinde virtutis nomen meretur. Characteris autem tenacia virtus aerumnose acquisita bono inhaeret universali, sed flecti scia, quia deliberanti rationi fidens prudenter semper agit.

2⁰. ex conditione generali cujuslibet virtutis.

Character complexus omnium virtutum, est finis nobilissimus educationis. Quia homines versantur in conditionibus admodum diversis maximeque variis officiis funguntur, fortitudo seu virilitas omnes virtutes morales comprehendat necesse est eo magis quod in rerum angustiis, in laborum diuturna sufferentia, in obstaculorum et difficultatum intrepida agressione, in lucta fortitudo characteris elucet, vincit, triumphat[2]).

Naturae fortitudinis explanandae valde proderit impedimenta fortitudinis examinare. Sed prius ipsam definiamus.

Fortitudo stricto sensu.

Considerantes characterem in tota sua integritate naturali supernaturalique hoc praenotandum est. Quum gratia supernaturalis tantum absit a natura humana debilitanda vel tollenda, ut

---

[1]) Feliciter hoc gallicum: „il est un caractère" interpretatur nostram fortitudinis acceptionem sensu latissimo. „Etre un caractère, c'est posséder, particulièrement dans l'ordre de la moralité, une puissance, une fermeté, une rectitude qui vous rendent supérieur aux autres hommes; c'est faire preuve d'une solidité dans les principes d'une indépendance dans la conduite d'une élévation et d'une noblesse dans les sentiments, d'une constance dans la vertu qui vous mettent, décidément. hors de pair". Malapert. Le caractère p 36.

[2]) „Eduquer un enfant. c'est donc, pour l'audulte intervenir dans la vie de cet enfant dans le but de lui transmettre et de développer en lui tout ce dont il a besoin pour vivre sa vie telle qu'il la doit vivre, pour atteindre et remplir sa destinée d'homme et de chrétien dans le temps et le milieu où la Providence l'a placé... c'est l'amener de l'impuissance du premier âge (e-ducare) a la virilité humaine et chrétienne". Dévaud. Guide de l'enseignement primaire théorique et pratique, Fribourg, Fragnière, 1917² p. 8-9.

eam potius sanet, fortificet, elevet nobilitet mirabiliter, patet aestimanda sit in operosa characterum formatione.

Habitus virtutum moralium ordinis naturalis perficiunt potentias ad agendum recte secundum naturam ad finem naturae; sunt perfectae virtutes acquisitae, in quantum connectuntur ceteris; itaque fortitudo perfecta est quae prudentiae, justitiae, temperantiae connexa, sed in ordine suo, quia virtutis acquisitae perfectio in ordine supernaturali omnino impar est, quatenus absolute deficit proportione ad objectum supernaturale. Perficiunt ergo illae virtutes potentias ad agendum, et dant rectum usum naturae tantum inclinando ad actus moraliter bonos, dando facilitatem quamdam agendi etiam extrinsecus consuetudine removendo impedimenta externa vincendoque difficultates. Haec facilitas non competit supernaturalibus infusis, quae elevant potentias et dant possibilitatem, adeoque inclinationem quasi essentialem et internam, sed non tollunt difficultates externas, impedimenta naturae, nec pravam inclinationem vitio conflatam. E contra, amissis virtutibus infusis peccato mortali, non amittuntur eo ipso acquisitae, nec facilitas ad similes actus bonos, licet specifice a supernaturalibus virtutum infusarum distinctos vel saltem, si cum gratia actuali fiant movento fide, minus connaturales minusque perfectos nec meritorios.

En harmonia et ordo inter virtutes morales acquisitas et infusas, neque alterae alteras destruunt, sed potius virtutes supernaturales elevant naturales.

Itaque fortitudo est illa virtus, quae firmiter continet appetitum in bono rationis contra supremum corporis malum—mortem; virtus cardinalis, firmans appetitum irascibilem vulnere infirmitatis debilitatum, immediate contra timores et audacias, mediate contra pericula praesertim mortis violentae vel repentinae, dein ut pericula labores juxta regulam rationis et fidei propter bonum virtutis, veritatis et justitatis, maxime propter bonum commune, civile et divinum, immobiliter sustineat, moderate aggrediendo repellat.

Inde habemus ordinem dicendi in sectione priore praenotatis quae pertinent ad fortitudinem, tamquam virtutem cardinalem specialemque, explicabimus ejus subjectum objectumque materiale; in sectione altera agemus de objecto formali nec non de actibus fortitudinis.

1. Subjectum objectumque materiale fortitudinis.

Praenotanda.

Saepe vulgus per errorem pro fortitudine vecordiam habet. Identidem homines aggrediuntur ardua nec difficultates nec pericula pensando vel sperando, fore ut sibi succedat; alit audaciam experientia secunda necnon ars acquisita; stimulant audaciam duplicantque vires, passiones ad violentiam exasperatae: ira, vindicta, invidia, aemulatio, voluptas, lucri cupido, rapacitas—ut abreptus homo mentẽm iń obstacula clademve vertere vix velit possitve [1]). Cavendum quoque, ne species virtutis pro vera virtute aestimetur. Vera siquidem virtus non tantum facinus laudabile patret, sed finem haud minus laudabilem prosequatur oportet[2]).

Fortitudo est virtus cardinalis specialis.

Fortitudo praeterquam quod cardinalis virtus[3]) vocatur etiam specialis, quia firmitate, reliquis virtutibus communi excellit ipsa.

Argumenta rationis a) ex parte subjecti.

Probatur assertum. Quatuor sunt potentiae in quibus virtutes tamquam in suis subjectis radicantur. Atqui prae caeteris irascibilis indiget firmari. Ergo in ipsa debet esse virtus specialis firmans irascibilem, quae est fortitudo, ut fusius infra patebit.

b) ex parte actus.

Bonum virtutis est bonum rationis, quod quadrupliciter servari debet in actibus huminis: vel bonum in ipsa consideratione rationis, vel bonum debiti et recti in operationibus, vel in passionibus et quidem allicientibus et impellentibus. Atqui difficillimum est servare bonum rationis contra passiones impellentes. Ergo debet esse virtus specialis quae firmat circa passiones impellentes, et haec est fortitudo.

c) ex parte objecti.

Id est objectum specificans virtutes cardinales, quod est diffi-

---

1) Cf. Sum. theol. II, II, qu. 123, a. 1 ad 2.

2) Cf. Sum. theol. I, II, qu. 67, a. 5.

3) Cf. ibid. II, II, qu. 123, a, 11.

cillimum in materia generali. Atqui difficile est habere firmitatem habitus, et inter habitus qui est contra malum arduum et inter ardum quae maxime a bono rationis divertit, ut est in audacia et timore, praecipue mortis. Ergo illa virtus quae circa hanc difficillimam materiam versatur, est fortitudo specialis[1]).

Locum fortitudinis inter alias virtutes.

Aliquid potest dici majus minusve simpliciter; aut secundum quid. Simpliciter consideratur unumquodque secundum propriam rationem suae speciei, quae habetur in virtute ex objecto[2]). Unde simpliciter loquendo illa virtus nobilior est, quae habet nobilius objectum. Hoc principio statuto, s. Thomas resolvit quaestionem de virtutum moralium et intellectualium hierarchia[3]).

Inter morales post prudentiam, justitiam, summa est fortitudo. Hoc ei convenit non ratione boni honesti, sed in quantum moderat passiones, ne abducat hominem a bono rationis. In ordine passionum timor periculorum mortis maxime est efficax ad hoc quod faciat recedere a bono rationis. Virtus igitur tenens locum praecipuum in his passionibus praecedet alias. Et talis est fortitudo[4]).

Ratione boni honesti quod est objectum virtutis, tanto aliqua virtus major est, quanto melior est. Bonum autem rationis est nobilius, quam bonum appetitus: ratio enim apprehendit aliquid in universali, appetitus autem tendit in res quae habent esse particulare. Prudentia est de bono honesto universali et fortitudo sine prudentia est vitium praesumptionis. Justitia est de bono communi quod praeponderat bono individuali et ut s. Ambrosius dicit in I de Offic. cap. 35, „fortitudo sine justitia iniquitatis est materia: quo enim validior est, eo promptior ut inferiorem opprimat" Eminet tamen fortitudo temperantiae ratione objecti, subjecti et actus. Objectum est de bono honesto arduo temperantiae — bonum delectabile; subjectum est irascibilis, qui confinium tenet inter rationem et sensualitatem, ut supra vidimus, temperantiae — concupiscibilis, qui est communis cum animalibus; actus est sustinere et aggredi, temperantiae autem refrenare.

---

1) Sum. theol. II, II, q. 123. a. 2.
2) Sum. theol. I, II, q, 54, a. 2; q. 60, a. 1.
3) Ibid. qu. 66, a. 3.
4) Ibid. II, II, qu. 123, a. 12.

Quamvis igitur fortitudo tertium locum occupet inter virtutes cardinales, nihil impedit, quominus tamquam virtus characteris dicatur principalis, ut infra patebit.

Subjectum fortitudinis.

Cum virtus humana perficiat hominis vitam, cujuscumque subjectum erit aliquid quo proprie est homo virtute perficiendus. Hujusmodi est anima, vel secundum essentiam vel potentias. Quaeritur de virtutis proprio subjecto et immediato, nam certe anima secundum essentiam est piimum et remotum subjectum omnium potentiarum, virtutum etc. Inter potentias animae quae subjecta virtutum esse possunt est ratio, voluntas, appetitus concupiscibilis et irascibilis, ut jam locuti sumus.

Subjectum fortitudinis est appetitus irascibilis, prout voluntati subjacet [1]).

Fortitudinis enim est reddere firmum ac constantem ad moderandum passiones quae retrahunt a bono rationis. Atqui passiones irascibilis, praecipue vero timores et audaciae retrahunt a hujusmodi bono. Ergo fortitudo, quae firmat irascibilem est in illo, tamquam in suo immediato subjecto.

Et inter potentias animae irascibilis videtur maxime requirere firmitatem. Ratio enim in consideratione boni per prudentiam perfectionem incorruptibilem habet, ne indiget firmari; voluntas naturaliter et firmissime amat bonum proprium et morale et nonnisi tantum in operatione erga alterum eget roborari, sed in se, ut potentia spiritualis, est omnino immobilis. Ominis vero corruptio habetur ex parte appetitiva sensitiva, cujus passiones sunt principia corruptibilia boni rationis et voluntatis. Concupiscibilis illud corrumpit impellendo contra rationem, irascibilis autem ratrahit ab illo et quidem vehementer et est difficile habere firmitatem in aliquibus periculis gravibus.

Ratio theologica item confirmat nostram affirmationem. Omne enim peccatum contingit eo quod homo praefert bonum particulare bono universaii seu est aversio a bono incommutabili ad bonum commutabile, per consequens conversio ad malum et aversio a bono. Atqui periculum conversionis ad malum magis

---

[1]) Sum. theol. I, II, qu. 61, a. 2; qu. 66, a. 1.; qu. 85. a. 3; II, II, qu. 38 a. 3 ad 2, a. 9; qu. 128 ad 1.; qu. 136, a. 4 ad 2; d. 137, a. 2, ad 2.; III, q. 15, a. 2; Mag. Sent. III, d. 26, q. 2, a. 2 ad. 4; d. 33, q. 2, a. 4, q. 2; IV 1. d. 33, q. 3, a. 3 c.; De Virt. q. 1, a. 4, a 5, a. 10 ad 11; qu. 5, a. 1; Eth. III, lect. 19.

imminet appetitui irascibili, quia passio habet semper objectum particulare sensibus perceptum et licet concupiscibilis sit magis vulneratus, tamen irascibilis, ut languore et pravatione virtutis, praecipue in timore maxime debilis factus est. Requirit ergo firmari per fortitudinem.

Objectum materiale.

Objectum alicujus virtutis est circa quod actus virtutis versatur. Objectum materiale dicitur illud ipsum objectum in se consideratum, abstrahendo ab omni respectu sub quo sit objectum talis actus.

Objectum nempe immediatum circa quod versatur fortitudo sunt timores et audaciae[1]), mediatum vero pericula primo et per se mortis[2]), et ex consequenti alia pericula et labores[3])

Objectum immediatum fortitudinis non est objectum externum, sed tantum passiones. Inde fortitudo primo et pe se regulat vitam internam seu affectus hominis et in hoc maxime differt ab justititia, quae regulat operationes ad alteros. Mediate vero inspicit pericula non quidem externa in quantum sunt, sed in quantum timentur. Ergo fortitudo consistit in medio rationis, non rei sicut habetur in justitia, nec cadit sub formulas mathematicas, categorias quantitativas, sicut accidit in justitia, sed est pure qualitativa virtus in eadem persona in diversis circumstantiis varia.

Fortitudo, sicut objectum materiale indicat, versatur circa timores et audacias et indirecte tantum circa spem in quantum illa producit audaciam et timorem.

In prima paragrapho, considerabimus timorem, in altera audaciam; de spe erit sermo infra ratione fortitudinis supernaturalis—spei.

---

[1]) Sum. th. I, q. 21, a. 1 ad 1; q. 95 a. 3, ad 2; I, II, q. 60, a. 4; II, II, q. 123, a. 3, a. 6; qu. 126, a. 2, q. 137, a. 1; qu. 141, a. 3 et ad 2; Com. Mag. 3 d. 26, q. 2, a.2, 4m,; d. 33, q. 2, a. 2, q. 2; Virt. q. 1, a. 4, 5.

[2]) Sum, th. I, II, q. 61, a. 3; II, II, q. 123, a. 4, 11, 12; q. 125, 128; qu. 129, a. 5; q. 134, a. 2. 4 et ad 1m; qu. 137, a. 1. 2, q. 140, a. 2 ad 3m; qu. 114, a. 3, 4; qu, 147, a. 2 ad 3m; qu. 149, a. 1; q. 151, a. 2 ad 2m; qu. 161, a. 2 ad 3m; qu, 166, a. 1, a. 2, ad 3m; Com. Mag. 3, d. 33, q. 2, 3, 6m; 4, d. 49, q, 5, a. 3, q. 2, 8m; Virt, q. 1, a. 12, 6m, 23m; qu. 5, a. 1, 4; Ethic. 3, lect 18, 19.

[3]) Sum. th. II, II, q. 123, a. 4 ad 1m; q. 124, a. 4 ad 3m; Com. Mag. 3, dist. 33, q. 2 3, 6m; q. 3, a. 3, q. 1.

§ 1. De timore.

Ab ipsa infantia usque ad senectutem timor nobis notissimus est[1]). Nostris vero temporibus ille maxime mentem hominum agitat propter dissolutionem statuum, incertitudinem politicam, socialem, oeconomicam atque conservationem vitae individualis. Neque propterea deficiunt scriptores qui illum prae caeteris animae affectibus fuso calamo exoraverunt. Tamen oportet notare—illa quae sunt maxime nota ultimo examini subjiciuntur. Praeter auctores antiquos, qui passim de timore scripserunt, nostro aevo Mosso, Hartenberg; Huot, Voivenel, Rogmann ex professo in suis monographiis de timore tractant[2]). Universi auctores citati, Rogmann excepto, student physiologiae magis timori, Mosso soli physiologiae.

Nostrum esse ducimus post s. Thomam potissimum breviter et succincte indagare naturam psychicam timoris, nec tamen physiologiam ejus praeteribimus.

Timor, juxta doctrinam s. Thomae, est passio specialis appetitus irascibilis, quae definiri potest: fuga appetitus sensitivi irascibilis ab aestimato malo futuro, propinquo cui ex defectu virtutis propriae resisti de facili non potest, cum contractione cordis et retractione sanguinis ad interiora et cum tremore.

Si ista definitio alicui physiologo non videtur sat completa, quamvis quoad substantiam optime correspondeat eorum minutissimo studio, sua natura psychica superat omnes definitiones, apud recentes valde raras.

---

[1]) *Huot et Voivenel.* op. cit. p. 37. „La chose plus naturelle, la première apparue est la peur".

[2]) *D. J. Rogmann* De timore. Tractatio psychologica et moralis. Luxemburgi, Schummer 1913. *A, Mosso.* La peur, Etude psychologique. Traduct. de l'italien par F. Hément. Paris, Alcan, 1901, *Agostino Gemelli.* Rivista di filosofia Neo-Scolastica (1917, fasc. 4) instituit analysim psychologiae timoris, causas, manifestationes et remedia.

Dr. L. Loewenfeld, Die psychischen Zwangserscheinungen. Wiesbaden, 1904. *Sum, theol.* I, II, qu. 41 de timore; qu. 42 de objecto; qu. 43 de causa timoris; qu. 44 de effectu timoris. De metu (rationali) et relatione ad voluntarium I, II, qu. 6, a. 6. Quodl. 5, a. 10. Sent. d. 29, qu. 1, a. 2: III, Eth. l. 2 et 4 fin. II Cor. e. g. l. 3. De fortiuudine circa timorem et audaciam II, II; a qu. 123. De dono timoris II, II, q. 19 per 12 artic,

Generales tractatus.—J. C. Alibert. Physiologie des passions. Paris, 1825. Vol. I, Sect. I, chap. VII du courage, chap. VIII de la peur; *Belonino,* De pas-

Praesupponimus ea, in quibus haec definitio habet commune elementum cum omni passione, in genere et cum passionibus appetitus irascibilis in specie. Explicantur solummodo ea quae proprie ad timorem pertinent.

Secundum duplicem potentiam appetitivam, quae specifice distinguitur in appetitum concupiscibilem et irascibilem statuitur duplex classificatio passionum: passiones appetitus concupiscibilis et irascibilis. Quia autem passio in genere dicit motum appetitus qui habetur per accessum et recessum, suo moto in irascibili surgit audacia in malum imminens possibile superatu et timor per recessum a malo imminenti difficili superatu. Unde proprium timoris est fuga a malo aestimato, quod repraesentatum a sensibus internis et cogitavita media reminiscentia causat fugam. Inde diversae causae timoris evocant diversas species ejus: timor physiologicus complexione naturali, timor immaginativus — exuberantia imaginum phantasiae, timor sensitivus et quidem naturalis — malo naturae, animalis timor — cogitativa.

Conditiones timoris.

Fugit appetitus sensitivus malum praesens vel futurum; timor distinguitur a tristitia, malo praesenti. Tamen futurum non debet esse nimis distans, nam quae nimis distant non timentur; sciunt quidem omnes se morituros, sed quia nondum imminere videtur mors, eam non curant, ut dicit Philosophus, Rhet. lib. II, c. 5. Pariter si propinquitas incidit cum necessitate non timetur, ut poena capitalis damnatis. Propterea ut habeatur timor futuri et propinqui mali, semper debet accedere spes evadendi quae, quia non certitudo, timorem non tollit. Manet autem timor difficilis superatu. Aliquando timent homines, ubi possibilitas superandi periculum praestatur propter debilitatem virtutis, nec illis quibus robur vel dexteritas suppeditant quidquam valet periculum.

---

sions. Paris, 1825. Vol, I, chap. III, p. 237 du courage et vol. III de la peur, *Descuret.* La médicine des passions, Paris, 1851[5]; *Dr. Mathias Meier*, Die Lehre des Th. v. Aq. De passionibus animae in Quellen Analytischer Darstellung; *B. King*, Conquest of fear. Doubleday, 1921; *Williams and Hoag.* Our fear complexes. Bobbs, 1923.

Generales tractatus de Pathologia menthali — *Dr. E. Kraepelin*, Psychiatrie. Leipzig, 1896; *Dr, A. Römer.* Psychiatrie und Seelensorge, Berlin, 1899; *Dr. A, Cullere*, Les frontières de la folie. Paris, 1888, chap II, p. 53; *Grasset*, Demi-fous et et demi-responsables. Paris, Alcan., 1907; *Raymond et Piérre Janet*, Nevroses et les idées fixes. 2 vol. Paris, Alcan, 1898.

Manifestationes physiologicas timoris fatemur sincere sudore stetisse nobis multo. S. Thomas sat parcus est verbis in hac doctrinae parte, recentes nimis profusi, multoties discrepant. Neque mirum videtur, quod longe disertiores recentes. Praeter ingentem progressum scientiarum experimentalium nostris temporibus admiratione dignum ipsa notio passionis multum differt. Juxta theoriam physiologico—pragmaticam a James—Lange inventam passio corpus vivens transmutat physiologice addens conscientiam hujus transmutationis et affectum. Unde secundum recentes motus passionis ita evolvitur transmutatio: organismi physiologica, cognitio, affectus [1]). S. Thomas vero primum horum elementorum ultimum ponit. En ejus physiologia timoris.

Timor fit per systolen cordis.

Appetitus naturae suam virtutem diffundit prius in principaliora membra, deinde in reliqua, ita ut decrescentem retrahat in principaliora membra, principia vitae, ut patet in moribundis: cor pulsat ad ultimum momentum. Et quia timor oritur ex malo apprehenso quod difficiliter repelli possit propter debilitatem virtutis, sequitur contractio virtutis ad intra. Principale autem organum vitae est cor. Inde necessario cor contrahitur. Timor subitus et vehemens motus cordis retardat, magnus lente evolutus accelerat[2]). Hunc processum medici acceleratorum et moderatorum explicant vi nervorum, qui a cerebro ad medullam spinalem descendentes, inferius in sympathicum deveniunt. Major eorum pars ad plexum cordiacum (nervos cordis), qui pulsationem accelerat aut fortiorem reddit, cursum tendunt atque commoti effectum id genus producunt. Nervi moderatores a cerebro in nervum vagum transiliunt et ad cor perveniut. Moderata nervi vagi immutatio activitatem cordis diminuit, quam amplior omnino suspendit[3]).

---

[1]) *Hartenberg,* op. cit. p. 11: „Pour nous, l' émotion est avant tout constituée par des éléments moteurs ou des mouvements élémentaires"; Cf. *Ribot,* Psychologie des sentiments, Paris, Alcan, 1897. „Une émotion, est un état complexe synthétique, qui se compose — *essentiellement* de mouvements produits et arrêtés, de modifications organiques (dans la circulation, la respiration etc.), d' un état de conscience agr able ou pénible, ou mixte, propre à chaque émotion".

[2]) Sum. theol I, II, q. 44, a. 1.

[3]) Cf. *Rogmann,* op. cit. p. 7 — 8; *Mosso* op. cit. cap. VI, Les battements du coeur, p. 77; *Hartenberg,* op. cit., p. 14.

Secundum phaenomen timoris est retractio sanguinis ad interiora, etiam in ira, diverso tamen modo. „Nam in iratis propter calorem et subtilitatem spirituum, quae proveniunt ex appetitu vindictae, interius fit spirituum motus ab inferioribus ad superiora; et ideo congregantur spiritus et calor circa cor; ex quo sequitur quod irati redduntur prompti et audaces ad invadendum. Sed in timentibus, propter frigiditatem ingrossantem spiritus moventur a superioribus ad inferiora; quae quidem frigiditas contingit ex imaginatione defectus virtutis et ideo non multiplicantur calor et spiritus circa cor, sed magis a corde refugiunt. Et propter hoc timentes non prompte invadunt, sed magis refugiunt"[1]). Isto calore ab superioribus ad interiora revocato, multiplicatur calor interius, id est circa nutritivam; et ideo consumpto humido, consequitur sitis, et etiam interdum solutio ventris et urinae emissio, et quandoque etiam seminis; vel hujusmodi emissio superfluitatum accidit propter contractionem ventris et testiculorum[2]).

Retracto sanguine circa nutritivam contingunt etiam alia phaenomena timoris. Ob timorem noxium vitae periculi causa vultus pallet; si vero est obnoxius appetitivi, cor attrahens sanguinem ad se repellit ad faciem et sic habetur erubescentia — vultus rubescit[3]).

Propter eandem causam tremunt membra, praecipue eique connexa. Ita „timentes maxime tremunt in voce propter vicinitatem vocalis arteriae ad cor; tremit etiam labium inferius et tota inferior mandibula propter continuationem ad cor; frendunt

---

1) Sum. theol. I, II, q. 44, a. 1 ad lm. *Hartenbeg*. op. cit. p. 14, „Il y a dans la peur une constriction généralisée des petits vaisseaux.., la vaso—constriction détermine la pâleur des téguments, le refroidissement périphérique, le frisson". Mosso, op. cit. p. 84. Les battements du coeur pendant la peur sont l' exagération d' un fait que nous voyons se produire toutes les fois que l' organisme doit acquérir une plus grande énergie et renforcer la circulation vers les centres. Il ne travaille pas pour lui, mais pour le cerveau et pour les muscles qui sont les organes de la lutte, de l' attaque, de la défense et de la fuite". Cf. Binnet et Courtier. Année psychologique, 1897, p. 80; Paris, Schleicher frères.

2) Sum. theol. I, II, q. 44, a. 3 ad lm. Cf. Hartenberg, op. cit p. 15.

3) Ibid. q. 44, a. 1 ad 3m. *Mosso* op. cit. p. 64. „La pâleur, effet caractèristique de la peur, resulte de la contraction des vaisseaux; la rougeur, qu' occasionne parfois la pudeur offensée comme la plus belle et la plus éloquente de toutes révélations des faits psychiques, n'est autre chose que la dilatation

dentes; brachia manusque tremunt, vel etiam quia hujusmodi membra sunt mobilia, propter quod et genua tremunt"[1])

Circa multa alia phaenomena timoris possunt consuli opera monographica multoties citata. Haec sufficient ad monstrandum, quomodo physiologia timoris secundum s. Thomam post tot saecula quamquam sobria, consonet physiologiae modernorum.

Considerato influxu timoris in organismum, superest indicare, quaenam sint partes timoris in anima, quia propter substantialem unionem corporis cum anima, phaenomenibus physiologicis correspondent phaenomena psychica.

Praeter ea quae in genere legibus parallelismi sive psychici sive physiologici sive diffusionis circa passionum effectus, timor in vita psychica hoc habet specificum, quod moderatus disponit timentes ad prudentiam et circumspectionem et homines consiliosos facit; nimius imaginationem et rationem perturbat, prudentiam minuit, ut homo fere semper erret[2]).

Denique timor physiologicus impedit operationem; psychicus, si est moderatus adjuvat operationes, quia prudentior, nimius perturbat, imo sistit actiones[3]).

---

des vaisseaux sanguins. Ces deux phénomènes opposés ne dépendent pas du coeur, attendu qu'il bat plus rapidement et plus fort dans l'émotion de la pudeur et dans celle de la frayeur... C'est surtout au visage que se montrent... perce que, dans aucune autre partie du corps, les vaisseanx ne sont aussi sensibles. Il en est ainsi pour deux raisons: d'abord parce que les centres nerveux exercent sur ces vaisseaux une action plus énergique, et ensuite parce que les vaisseaux sont plus délicats... Hartenberg, op. cit. p. 15.

1) Sum. theol. I, II, q. 44, a. 3 ad 3m. Quaestio tremoris physiologis est valde delicata. *Hartemberg* omnes explicationes ad duplicem causam mediatam reducit dicendo: „On pourrait le (troubles moteuıs) expliquer soit par un mécanisme musculaire (hoc modo videtur Mosso op. cit. tremoris phaenomen interpretat. v. pag. 101-102), soit par un mécanisme nerveux: dans le premier cas, on supposerait que les muscles anémiés par la vaso-constriction deviennent impropres à leur contraction normale; dans le second cas, l'équilibre nerveux troublé par le choc émotionel rendrait les voies centrifuges inaptes à une conduction règulière des excitations, op. cit. p. 16. *Mosso* etiam admittit possibilitatem secundae causae. op. cit. p. 103-105.

2) Sum. theol. I, II, q. 44, a. 2. Influxus timoris in imaginationem haec forti formula exprimitur a *Ribot*, Psychologie des sentiments, p. 219, Paris, Alcan 1911[8]. „L'absence de peur n'est qu'une absence d'imagination". vide etiam plura circa timoris influxum in imaginationem apud *Rogmann*, op. cit. p. 49-65, ubi sermo habetur de somniis, actionibus quotidianis, ideis coactis, phobiis, deliriis, mentis insania; et p. 76-79.

3) Sum. th. I, II, q. 44, a. 4.

Haec videntur sufficere de narura timoris ad nostrum scopum. Multa scripserunt auctores, quorum Rogmann attentione dignissimus.[1]).

§ 2. De audacia.

Dum timor a multis subtili analysi subjicitur, audacia nondum invenit auctorem, qui ex professo illam investigaret, quamquam fortitudo versatur circa audaciam tamquam suum objectum materiale[2]).

Accedamus ad audaciae naturam definiendam. Ipsa secundum doctrinam s. Thomae definiri potest: motus appetitus irascibilis timori contrarius, spe victoriae festine aggrediens, periculum imminens aestimatum ut possibile superatu, cum ascensu sanguinis circa cor.

Triplici sensu sumitur audacia ab antiquis auctoribus. Sensu morali Stoicis est virtus animi rationalis, constantia, magnus animus coincidens cum fortitudine, virtus princeps, maxime Romanis.

Augustino audacia est vitium peccatque dum agit praeter rationem et ultra vires. S. Thomas defendit audaciam a ratione ordinatam, vituperat discedentem ab illa in II, II, qu. 127, a. 1 et 2.

Aristoteli audacia esi passio etiam animalibus propria[3]). Huot et Voivenel, vocem „le courage" videntur, semper sumere sensu morali, quamobrem denegant fortitudinem animalibus[4]).

Audacia opponitur timori ab objecto et ab actu.

---

[1]) *Rogmann*, op. cit. En principaliora et magni momenti capita ejus opusculi: c. III Relationes timoris et intellectus, ubi § 1⁰ Vis timoris in intellectum et ad 4m. tractat de vi timoris in ratione et ejus effectibus: suicidium, defectio a fide, revolutio Gallicana; ad 5m. de statibus communibus timoris vim in intellectum testantes: tentatio, scrupuli, res adversa, meditatio aliquarum veritatum intenta; § 2. Vis intellectus in timorem. Cap. IV. Relationes timoris in voluntatem. Vis timoris in voluntatem—ad 2m. de abulia, anergia; ad 3m. actiones coactae etc. § 2. Vis voluntatis in timorem..

Cap V. Timor et character. § 1. Educatio et timor § 2. Timor humanus.

[2]) Sum theol. I. q. 21, a. 1 ad 1m; II, 95, a. 3, ad 2m; II, II, q. 123, a 3; q. 141, a. 3 et ad 2m; Com. Mag. 3, d. 26, q. 2, 2, 4m; d. 33, q. 2, a. 2, q. 2.

[3]) Com. in Psalm. 17. „In leonibus est agilitas et fortitudinis excellentia, quia ob siccitatem nimiam non habent medullam in ossibus et hujusmodi contingunt ex magna immixta elementorum inaequalitate". Cf. I, II. qu. 46, a. 5, ad 1m. qu. 67, a. 2 ad 2m.

[4]) *Huot et Voivenel*, op. cit. p. 47. „Ils n'ont pas le vrai courage, celui qui accepte le sacrifice de l'individu à l'idéal... Il obéit à la logique biologique qui dirige son psychisme. L'animal obéit à l'instinct de conservation.

Ab actu. Timor enim refugit nocumentum futurum propter ejus victoriam super ipsum timentem; sed audacia aggreditur periculum imminens propter victoriam suam supra ipsum periculum. Ambae passiones habent idem objectum sc. malum futurum difficile superatu; solummodo timor ad fugam impellit; audacia aggreditur et superare conatur periculum. Objectum habentes idem, differunt actu. Malum impossibile superatu apparens gignit desperationem, dum contra victoriae possibilitas excitat ad pugnam, ad aggressionem.

Ab objecto, audacia opponitur spei[1]). Objectum enim spei est bonum futurum difficile acquisitu, illud audaciae est malum difficile victu. Hinc bonum inde, utrinque difficultas.

At obstante illa contrarietate, spes est causa principalis audaciae. Audex enim non potest aggredi periculum absque spe victoriae. Unde audaces sunt semper bonae spei. Non licet tamen concludere spem esse partem audaciae, quia istae passiones opponuntur objecto, actu audacia opponitur timori. Patet igitur audaciam insequi cominus malum periculi, eminus bonum victoriae[2]). Audacia subito aggreditur et impetuose praeveniendo rationem. Proinde valde periculosa, nam virium limites faciliter transilit atque in vitium vanae gloriae, necnon praesumptionis incidit, vilipensi periculi acie territa terga vertit[3]); facilius pavore immisericordiae se dedit[4]).

Repentinae audaciae semper comitatur possibilitas victoriae aut propria aut aliena virtute. Propriam virtutem audacia communicat sanguis fervens violenter per venas ruens. Et quidem sicut notat s. Thomas post Aristotelem, qui habent parvum cor sunt magis audaces, quia calens sanguis facilius calefacit parvum cor, quod atque valet de pulmone[5]). Unde temperamentum

---

[1]) Sum. th. I, II, qu. 45, a. 1 ad 2m. „Passiones irascibilis habent duplicem contrarietatem: unam secundum oppositionem boni et mali, et sic timor contrariatur spei, aliam secundum oppositionem accessus et sic timor contrariatur audaciae, spei vero desperatio".

[2]) Ibid. qu. 45, a. q.

[3]) Sum. th. I, II, qu. 45, a. 4. Audacia, quum sit quidam motus appetitus sensitivi, sequitur apprehensionem sensitivae virtutis; virtus autem sensitiva non est collativa nec inquisitiva singulorum quae circumstant rem, sed subitum habet iudicium... Unde, quando jam experiuntur ipsum periculum, sentiunt majorem difficultatem quam aestimaverunt; et ideo deficiunt".

[4]) ibid. II. II q. 30, a. 2.

[5]) Ibid. I, II, qu. 45, a. 3 ad 1m.

vivum et ardens optime disponit ad audaciam. Inter causas audaciae morales adscribi possunt: experientia jam feliciter susceptorum periculorum, securitas, tanto major, quo majore aut minore experientia pollens; securitas parit spem, haec fiduciam et audaciam. Opes nutriendo superbiam favent audaciae; demum amicitiae favoresque potentium. Etiam defectus et vitia provocare audaciam possunt nam vani, temerarii, mente plus minusve capti, ebriosi audax hominum genus audacia male sana, periculosissima.

Sociorum eadem praesertim quia sorte foederatorum fidelitas consuevit sustentare audaciam. Ante omnes autem Deus, quo nec dominum potiorem, nec socium fideliorem auxiliisque ditiorem invenies unquam, audaciam fideliter sibi famulantium miris alere solet modis.

Jamque Philosophus in II Rhetor. c. I docet; *„iniquitatem passi redduntur audaciores, quia putent Deum iniqua passis auxilium ferre“*.

Timores mortis.

Explicata natura timoris et audaciae principale fortitudinis objectum est timor mortis.

Fortitudinis est firmare animum contra excessum vel defectum passionis. Timor facilius cedens inque fugam se vertens magis a fortitudine distat audacia, quae hanc exuberando depravat; item firmandus prius contra boni, virtutis ardua. Unde fortitudo primo et per se dicitur *„cohibitiva timorum et moderativa audaciarum“* [1]).

Quae fugit timor periculorum, alia possunt esse absoluta et externa virtutem hominis transcendentia, alia relativa et interna superabilia.

In specie, pericula circa quae fortitudino versatur sunt mortis, illa timorem maxime incutientia [2]).

Virtus cardinalis debet excellere quapropter fortitudini difficillima difficillimo modo vincenda objiciuntur. Ergo debet esse in irascibili circa et quidem mortis.

---

1) Sum. theol. II, II, qu. 123, a. 3.

2) Sum. th. II, II, qu. 123, a. 3. Cf. III th. lect. XIV. Aristoteles antequam probat fortitudinem versari circa pericula mortis, per viam remotionis ostendit fortitudinem non esse circa timorem infamiae. Fortis enim secundum hoc quod timet quando, ubi etc. oportet. Si quis timet infamiam, laudatur

Quia vita humana sensibilium bonorum maximum eorundemque vehiculum merito supremum censetur, adeoque amor ejusdem vehementissimus cum periculorum violentia crescens; cui amori par consonat timor[1]).

In bello campus martius, campus fortitudinis. Aristoteles ostendit circa quod genus mortis verserur fortitudo. „Neque est fortitudo circa mortem quam aliquis sustinet in quocunque casu vel negotio... sed circa mortem... pro optimis rebus, sicut contingit cum aliquis moritur in bello propter patriae defensionem„[2]). S. Thomas corrigit paganum: *„inquantum videlicet defendit bonum commune per justum bellum"*[3])

Similiter Aristoteli mors in bello propter bonum commune optimum est, s. Thomae mors in bello propter bonum reipublicae divinae seu regni coelorum est optimum, quare hoc loco etiam complet philosophum.

Fulget praecipue furtitudo imminente morte violenta vel repentina, quando salutis decrescens continuo spes desperationi pedetentim cedit arenam. Annumerantur merito periculis damna sive corpori bonisve externis illata, ut vulnera, morbi, pauperies, captivitas sive animo bonisve internis ut luctus, infamia, tentationes. Timor horrens laborem in laboribus externis pigrens segnitiei, in internis acediae nomen habet.

Labor, sicut etymologia vocabuli indicat, est operatio diffi-

---

quasi decens id est compositus in moribus et verecundus. Deinde probat fortitudinem non esse circa paupertatem, quam non oportet timere prout dicebatur de infamia, neque alia v. gr. aegritudinem quae non pertinent ad malitiam, cujus homo est causa. Pariter ostendit fortitudinem non esse circa timores personarum. Sed fortis simpliciter est ex eo quod est fortis circa maxime terribilia, quae est mors.

[1]) III lib. Eth. lec . XIV. Hujusmodi rationem S. Thom. post. Aristotelem ostendit: „Quia mors est terminus totius praesentis vitae, et nihil post mortem videtur esse hujusmodi bonum vel malum, de his quae pertinent ad praesentem vitam, quae nobis inferunt mortem." Sum. theol. II, II, q. 123, corp. art. 4: „ad virtutem fortitudinis pertinet ut voluntatem hominis tueatur, ne retrahatur a bono rationis propter timorem mali corporalis... quia nullum corporale aequivalet bono rationis; et ideo oportet, quod fortitudo animi dícatur, quae firmiter retinet voluntatem hominis in bono rationis contra maxime mala: quia qui stat firmus contra majora: consequens est quod stet firmus contra minora; sed non convertitur".

[2]) Ibid. lect. XIV.

[3]) Sum. theol. II, II, q. 123, a. 5.

cilis[1]), retrahens voluntatem a bono rationis. Cum igitur natura humana in omni genere actus physici, intellectualis, moralis, religiosi supernaturalis sit in potentia pura, principium vero difficultatis, consequenter et timoris potentia pura, principium facilitatis est actus. Ergo necesse est fortitudinem etiam circa labores versari.

Quamvis timor objectum sit materiale principale fortitudinis, audacia — secundarium.[2])

2. Objectum formale fortitudinis et ejus actus.

Objectum formale fortitudinis

Vidimus objectum materiale circa quod versatur fortitudo. Nunc inquiremus formalem respectum quo circa ipsam versatur actus, seu materia cum omnibus formalitatibus ipsam determinantibus ad hoc ut sit objectum talis actus nec alius; et simul quaenam sit ultima formalitas determinans illam ut sit talis virtutis objectum, quod est quaerere motivum virtutis.

Jamvero timor est objectum fortitudinis quatenus moderandus in sustinendo periculo; audaciae vero secundarie quatenus reprimendus in aggrediendo; firma voluntas manens in bono honesto, est motivum formale fortitudinis.

Fortitudo biformis moderatio nempe et repressio unum objectum habet a re materiale idemque formale. In III Eth., vult Aristoteles circa idem versari timidum et audacem, sed illum deficiendo, istum superando[3]). Sed differentia, ut clare notat Cajetanus, est a cognitione, seu apparentia“ in quantum idem

---

[1]) *M. Bréal* et *A, Bailly*. Dictionnaire étymologique latin, Paris, Hachette, 1914[8] p. 146. „Le sens primitif (de làbor) parait avoir été „charge, poids“. Ce sens est resté surtout au verbe laboro, qui signifie souvent „être chargé, plier sous le choc“. Hor. Od 11, 9 6. Aquilonibus laborant querceta Gargani.. etc.. De là labor a pris le sens de fatigue, travail“

[2]) „Fortes viriliter agunt aggrediendo pericula in illis rebus in quibus laudabilis est fortitudo vel in quibus bonum est mori, sicut in rebus bellicis... Sed in praedictis corruptionibus, scilicet morte quae est in mari vel in aegritudine, nec est fortitudo laudabilis, neque ex morte aliquod bonum sequitur. Unde audacter aggredi talia pericula, non pertinet ad virtutem fortitudinis“. III lib Eth. lec. XIV, — „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos“. (Matth. XI, 28).

[3]) Com. S. Th. in III. Eth. lect. XV.

periculum apprehenditur ab uno ut prope existens et ut magnae potentiae ad valde contristandum et nocendum, et sic habet rationem timendi; et ab alio apprehenditur ut longe exsitens et ut superabilis resistentiae, et sic habet rationem ausibilis"[2]). Ideo timor et audacia non opponuntur ab objecto quia ambo spectant malum ut dictum est supra.

Actus fortitudinis.

Cum fortitudo cohibeat timorem et audaciam opponitur utrique, ut medium extremis, et excludit utrumque sicut et moderatur atque recedens ab alterutro extremorum ad medium addit et subtrahit aliquid. In quantum moderat timorem secundum bonum rationis actus fortitudinis est immobiliter sustinere pericula; in quantum vero repressit invasionem audaciae fortitudinis actus est moderate illa aggredi.

Actus sustinendi timorem non pura passivitas, nec virtus passiva Americanismi, ut patientia, humilitas, obedientia, quia hujusmodi virtutes passivae non exstant, sed vera[1]) sustinentia est perfectissima activitatis impellens ad resistendum. Optime notat Cajetanus: „*sustinens se habet ut patiens*; *ac per hoc, se habet ad periculum ut agens in se, et iterum sustinere, licet ex parte corporis importet passionem, ex parte tamen animae importat actionem*"[2]).

Similiter sustinere moram secum fert quoniam idem atque immobiliter persistere, quod sine mora fieri nequit; nec tamen solum permanere, sed posse aggredi nec aggredi fortitudinis est quo distinguitur a patientia. Patientia sustinet mala praesentia, fortitudo immobilis resistit periculo nec aggreditur: utraque est activa quamquam minus prior.

Triplex igitur actus distingui potest in sustinentia: cohibere timorem, sustinere, resistere. Accidit confundere patientiam cum passivitate eis qui non distinguunt actum internum ab externo et confundunt immobilitatem negativam—defectum cum positivo cum electione voluntatis.

Immobiliter sustinere periculum dupliciter potest: actu immobilitatis vel circa materiam seu timores, vel circa objectum formale—bonum virtutis. In priore casu falsa est sustinentia et duplici vitio laborat: impaviditate scilicet et pertinacia. Fortitudo stat

---

1) Sum theol. II, II, qu. 141, e. 2.

2) Com. Cajetani in II, qu. 123, a. 6.

media inter terribilia mala ideoque vere fortis timebit ea quae sunt supra hominem "*et fugiet fugienda facietque facienda ejus gratia cujus oportet et eo modo quo oportet et quando oportet*"[1]), quia fortis et virtuosus patitur cum timore tantum quod dignum est eoque modo quem recta dictat ratio seu propter objectum formale virtutis.

Itaque veram sustinentiam hac brevi formula nostri Magistri notare possumus: „ut aliquis active ex parte passionis timoris et ex parte propositi et cum potestate aggrediendi immobiliter in virtute et in proposito sustineat, licet non semper in actu"[2]).

Pauca verba adjungamus de secundo fortitudinis actu nempe de moderata aggressione.

Fortitudo magis assimilatur audaciae quam timori, magis distat fortis a timido quam ab audace et magis contrariatur fortitudini timor quam audacia. Constat namque fortius esse audere quam timere, quia „*timor non solum aufert actus fortes, ut dicit Cajetanus, sed similes fortibus, quoniam facit fugere: audacia autem facit actus similes fortibus, dum facit aggredi*"[3]).

At quamvis aggressio ita essentialiter pertineat ad fortitudinem in potestate fortis sit saltem cum praeparato animo aggredi quando requirit bonum virtutis id, tamen executionem speciali modo debet moderari aggressus propter triplex vitium: audaciae vehementiam, irae impetum, injustitiae crimen erga alias personas.

Propter majorem propinquitatem audaciae fortitudini, videtur principalis actus ejus esse aggressio, secundarius vero sustinentia. Nihilominus s. Thomas multoties proclamat sustinentiam esse principalem actum fortitudinis, secundarium vero aggressionem[4]).

Haec doctrina penitus opponitur „*culturae*" humanae amorem sui absolutum et vim brutam proclamanti. Nec defuerunt nostra aetate auctores[5]), qui antiquam paganam fortitudinem

---

[1]) In III lib. Eth. lect. XV.

[2]) Praelectiones semestri hiemalis 1917 1918 De fortitudine.

[3]) Com. Cajet. in II, II, q. 123, a. 3.

[4]) Sum. th. II, II, q. 123, a. 3, a. 6, a. 0 ad 3m; a. 11 ad 1m.; qu. 124, a. 2 ad 3m; qu. 128; qu. 141. a. 2, a. 3; Cf. III, 1. Mag. Sent. d. 33, q, 2, 3, 6m; bu. 3, a. 3, q. 1; d. 34, q. 3, a. 1. q, 2.

[5]) *Max, Stirner, Kaspar Schmidt, Nietsche, Renan, Hegel,* alique plurimi Macchiavellismi fautores docentes, hominem posse et debere facere quid-

resuscitarent atque immane universarum nationum bellum fructus ejusdem amarissimus, letifer,

Prob. 1. Ex notione vi. — Metaph. l. 5, lect. 17. Id est fortitudo in morali agente, quod vis in naturali. Atqui omni virtuti in agente naturali convenit, quatenus est firma et vigorosa tum immobiliter manere in seipsa, tum etiam alia aggrediendo sibi adsciscere. Ergo.

2. Ex notione fortitudinis. Virtus moralis passiones moderatur: imo ubi necessarium, retundere. Atqui primo et per se virtuti morali convenit se tenere in medio, secundarie vero excessus retundere. Ergo.

3. Ex natura actus. Principalior actus est qui difficilior. Difficilius est autem sustinere quam aggredi. Et hoc patet multifariam. Quia difficilius est resistere fortiori, quam debiliori. Sustinens enim patitur simulque agit ad periculum ut ad fortius, quia fortiorem se ostendit patiente, aliter non ageret in illud[1]). Difficilius est resistere periculo imminenti quod est timoris, quam aggredi futurum, quod audacis. Item difficilius est resistere et sustinere, ne difficultate imminentium malorum animus frangatur neve diuturnitate difficilium homo fatigetur, dum aggrediendo periculum homo spe pertinaci victoriae vincit. Si perfectionem consideremus perfectius certe sibi sufficere quam uti aliis ad suam perfectionem. Sustinentia, ut virtus, sibi sufficit, audacia vero debet uti ira et aliis passionibus. Etiam cunctarum passionum terribiliorem, quae timor est, vincit sustinentia. Denique, ille actus dicitur perfectior qui magis accedit ad rationem. Atqui talis est sustinentiae actus quae lente meditando et ponderando periculum immobiliter sustinet, dum actus audaciae sine magna reflexione tota sua vehementia prorumpit.

Ratio theologica item suadet. Ille est principalior actus for-

---

quid voluerit, omnia et licere, modo sufficientem habeat prudentiam et potestatem. En aliquod Nietsche effatum, cui simila multa apud eum invenies: „Was ist Gut? Alles, was das Gefühl der Macht, den Willen zur Macht selbst im Menschen erhöht. Was ist schlecht? Alles, was aus Schwäche stammt. Nicht Zufriedenheit, sondern mehr Macht nicht Friede überhaupt, sondern Krieg; nicht Tugend, sodern Tüchtigkeit"... etc. in ejus op. Jenseits von Gut und Böse, vol. I, p. 250 sq.

Cf. *Cathrein.* Moralphilosophie vol. I p. 165-168 Freiburg im Breisgau, Herder 1911[5].

[1]) III lib. Eth. lect. XVIII. Difficilius autem est stare contra fortiorem quam insurgere in aequalem vel minorem".

titudinis qui est contra maximum defectum peccati originalis. Atqui vulnus infirmitatis ex peccato originalis. Atqui vulnus infirmitatis ex peccato originali potius est timor de quo est sustinentia magis, quam in audacia.

Argumentum confirmatur exemplis Christi, Sanctorum. Maxime in Novo Testamento commendatur sustinentia, ubi „mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem" quod est summa perfectionis christianae, contraponitur pagano et recentium mandato *„nicht Zufriedenheit sondern mehr Macht, nicht Friede überhaupt, sondern Krieg"*, quod est summa, „culturae" supra—hominum.

Objectum formale quo seu finis fortitudinis.

Terminandum est objectum formale fortitudinis quod consideratione objecti formali quo.

Virtutes enim sicut accipiunt genus a materia circa quam versantur, ita specificationem ab utraque ratione quae et sub qua. Omnis vero specificatio virtutis sicut et actus humani progreditur ex fine[1]), qui vel est proximus — finis operis ad quem virtus interna sua natura immediate ordinatur et quo obtento habetur opus virtuosum quoad substantiam; vel ultimus, ad quem ulterius potest ordinari virtus intentione operantis. Ideo objectum formale virtutis et finis coincidunt.

A fine operis bonum virtutis potest esse duplex: alterum quod est bonum rationis proportionatum potentiis humanis—virtutes acquisitae; alterum bonum virtutis quod elevat hominem supra ipsum in bonum altius—virtutes infusae.

A fine operantis item distinguitur bonum virtutis secundum regulam homogeneam, quae est prudentia humana et secundum regulam heterogeneam, quae est stultitia crucis, fides, exemplum Christi, Evangelium. Ubi vero imponit modum operi virtuoso ipse Deus directe, dat donum Spiritus Sanctus.

Possumus igitur plures gradus fortitudinis distinguere.

1. Actus fortis circa bonum particulare non est fortitudo nisi per antomomasiam, quia potest esse ad utrumque tam ad vitium quam ad virtutem.

2. Actus fortes nimia spe vel audacia excedendo regulam homogeneam, audaciae vel praesumptionis vitium conflant.

3. Operari propter bonum honestum, sed externum exponit

---

[1]) Sum. theol. I, II, q. 1, a. 3.

vitio vanae gloriae si opus ipsum fit finis est virtus imperfecta si gloria consideratur ut medium perfectionis operis.

4. Dispositio perfecta, firma, actibus repetitis et deliberatis acquisita propter bonum honestum in se secundum prudentiam humanam est virtus moralis acquisita.

5. Dispositio supernaturalis infusa a Deo, fide Evangelio vel exemplo Christi confirmata propter regnum coelorum est virtus simpliciter perfecta et quoad substantiam et quoad modum in quantum elicitur virtute fortitudinis imperioque charitatis.

6. Dispositio supernaturalis infusa a Deo et regulata per Spiritum Sanctum qui, ubi vult spirat, qua homo evadit quodcumque periculum imminens naturam humanam excedens est donum fortitudinis ad actus heroicos fortitudinis perficiendos.

Ex his diversis gradibus fortitudinis sufficienter patet, quomodo finis specificet ejus actus. Etenim fortitudo acquisita et christiana non distinguuntur, nec objecto materiali, nec subjecto remoto, sed causa efficienti et objecto formali quo. Causa efficiens virtutis acquisitae est homo, infusae—Deus; objectum formale quo acquisitae est sapientia humana seu ratio; infusae—regula fidei seu stultitia crucis.

Denique pressius indicando objectum formale et motivum fortitudinis, in definitione addimus: propter bonum virtutis, veritatis et justitiae, maxime vero propter bonum commune divinum et humanum. De bono virtutis supra locuti sumus. Restant pauca verba de caeteris bonis.

Bonum veritatis et justitiae? Quid?

S. Thomas explicat singula motiva specifica quae se habent ad bonum rationis tamquam ad suum genus[1]). Nomine veritatis intelligenda est non veritas speculativa, sed illa quae cum pietate inde aliqua veritas religiosa, moralis, practica et quidem quatenus est persuasio seu pars conscientiae [2]).

Justitiam oportet vocare illam stricte dictam, non late nam secus omnis virtus dici potest justitia [3]). Rationes horum patent si modo inspiciatur natura fortitudinis.

---

1) „Ad virtutem pertinet, quod aliquis in bono rationis conservetur. Consistit autem bonum rationis in veritate, sicut in proprio objecto, et in justitia, sicut in proprio effectu". Sum. th. II, II, q. 124, a. 1.

2) Sum. th. II, II, q. 124, a. 5 4d 2m.

3) Ib. q. 123, a. 12 ad 3m.

Omnis passio obnubilat mentem, et concupiscibilis, potissime luxuria, ira et timor obnubilant maxime judicium conscientiae, quae est principium actionis. Fortitudo autem quatenus est circa actiones debet moveri veritate. In quantum vero circa audacias, si modicum excedit laedit personas, per consequens justitiam. Igitur etiam additur bonum justitiae.

Maxime tamen movet bonum commune, quod Aristoteles habet pro bono reipublicae, praesertim bellum. S. Thomas objectum fortitudinis extendit ad omne certamen et bonum commune interpretatur bono humanae naturae. Et quia s. Doctor adhuc altiorem fortitudinem considerat in martyribus qui sunt testes Ecclesiae, inde bonum commune habet etiam rationem boni divini—Dei et Ecclesiae.

C. Fortitudinis natura supernaturalis.

Character sensu completo continet bonos habitus ordinis tum naturalis tum supernaturalis. Explorata istorum habituum connexione ad characteris christiani constitutionen, breviter explicabitur natura fortitudinis supernaturalis.

Fortitudinem supernaturalem perfectam in statu naturae integrae homo debebat gratiae non naturae, qua ratio subdebatur Deo, rationi vero inferiores vires, et animae corpus. Quamdiu enim ratio manebat Deo subjecta, inferiora ei subdebantur. Et quia prima illa subjectio, qua ratio hominis perfecte et immobiliter Deo uniebatur, erat supernaturali dono gratiae, ideo erat supernaturalis illa subjectio et fortitudo[1]).

Rectitudine supernaturali protoparens omnem firmitatem animi sive contra impedimenta vitae intellectualis sive moralis sive physicae optime participabat. Quapropter s. Thomas recte notat illum omnes virtutes habuisse quantum ad habitum et actum quae per se nullam imperfectionem ferebant; quantum ad habitum, quae aliquomodo repugnant perfectioni primi status, ut poenitentia, misericordia. Fortitudo supernaturalis quae competit homini ratione gratiae, quamvis formaliter radicata in anima (subjectio religiosa Deo), virtualiter propter suam abundantiam redundant in potentias inferiores (subjectio intellectualis et moralis), ex quibus potentiis et anima penetrat totum corpus et

---

[1]) Sum. theol. I, qu. 96, a. 1.

reddit illud incorruptibile (subjectio physiologica). Recte igitur concludere possumus, etiam fortitudinem stricto sensu, in quantum versatur circa passiones irascibiles, inveniri in statu justitiae originalis, quae est moderativa audaciae et spei, non vero tristitiae et timoris[1]).

Tamen per peccatum originale perdidit homo: justitiam originalem omniaque simul dona supernaturalia, consequenter fortitudinem supernaturalem primi status; vigorem rationis et voluntatis viriumque omnium inferiorum, quem homo possidebat operando juxta conditionem originalis justitiae; naturalem inclinationem ad virtutem, quae abhúc diminuta est per peccatum[2]).

Unde triplex infirmitas quam jam notavimus loquendo de complexione, temperamento, charactere theologice considerato. Contra infirmitatem moralem characteris statuitur, virtus fortitudinis quae moderat timores et reprimit audaciam.

Per consequens oportet ponere fortitudinem supernaturalem contra infirmitates in ordine supernaturali.

Cum peccatum originale privet gratia et omni dono supernaturali, homo radicaliter infirmatur respectu ordinis supernaturalis, transcendentis potentiam seu virtutem operativam hominis et quidem dupliciter: in quantum homo est creatura simpliciter, non potest sua propria virtute attingere quae sunt supra naturam; in quantum adhuc aliquod impedimentum potentiae adjunctum habet, eo magis longe distat a tali ordine. Sed ut supra dictum est, natura hominis quatuor vulneribus debilitata est et per peccata actualia inclinatione ad bonum virtutis diminuta est; s. Thomas ista quatuor vulnera adscribit peccatis actualibus; infirmitas augetur eo scilicet, quod *„ratio hebetatur praecipue in agendis, et voluntas induratur ad bonum, et major difficultas bene agendi accrescit. et concupiscentia magis exardescit“.*

Propterea stricto sensu fortitudo supernaturalis characteris virtutibus prae caeteris praemunit hominem contra infirmitates. Talis est spes omnibus christianis et donum fortitudinis operibus heroicis. Ad quorum evidentiam agemus 1^{0}. de spe; 2^{0}. de dono fortitudinis.

De Spe.

Spes generatim intelligi potest, vel passio appetitus sensitivi

---

1) Sum. theol. I, qu. 95, a. 3 et ad 1. et ad 2m.

2) Ibid. I, II, q. 85, a. 2.

ad irascibilem pertinens, vel motus voluntatis, quo exoptamus bonum, cum fiducia illud consequendi.

Quia quae de passione spei dicuntur intimo nexu ligantur cum spe in appetitu superiori, resumenda est doctrina s. Thomae de spe passione, antequam spes ut virtus theologica explanetur.

Spes est motus appetitivae virtutis consequens apprehensionem boni futuri ardui possibilis adeptu[1])

Spes passio.

Omnis quidem passio dicit motum, spei tamen convenit motus, cujus speciales notae assignandae sunt. Suo motu spes distinguitur a passionibus in termino motus: delectatione, tristitia; et illis quae sunt principium motus, sicut amor, et a desiderio, ab inefficaci motu. Spes enim addit desiderio *„quemdam conatum, et quamdam elevationem animi ad consequendum bonum arduum"*[2]*)*. Spes opponitur desperationi et excrescere potest in audaciam delectationemve. Causa spei non solum—bonum, sed etiam possibilitas adipiscendi[3]). Nihil interest nostra quae sint logice, sed quae practice possibilia. Bonum relatum potentiam excitat, spem auget[4]). Parum refert bonum speratum propriane an aliena dummodo acquiri possit. Neque obstat arduitas boni, dummodo virtute, non ultra vires, secus fugat spem desperatio. At contra difficultas superatu possibilis auget spem usque ad audaciam. Singulorum spes obstaculis removendis impar auxilium flagitat humanum sive divinum.

Causae spei.

Indoles hae spei produnt causam ejusdem.

Ultima causa spei est bonum, quamvis difficile, possibile tamen obtentu. Bonum perceptum nobis placet, desideratur. Spes igitur sequitur desiderium[5]). Si bonum difficile cum quadam erectione animi desideratur, hoc fit *„secundum rationem boni, quod de sua ratione est attractivum; et ideo est motus in bonum per se... Arduum non est ratio acccedendi vel appetendi, sed potius bonum... et non quaeritur (arduitas), nisi propter adeptionem finis"*[6]*)*. Possibilitas denique vincendi impedimenta complet spem.

---

1) Sum. theol. I, II, qu. 40 per tot.

2) Ibid. qu. 25, a. 1;—3) Ibid. qu. 40, a. 1 ad 3m.

4) Ibid. a. 4 ad 3m;—5) ibid. qu. 40, a. 1, a. 7,

6) Ibid. qu. 25, a. 3, corp., ad 2 et ad 3m.

Quidquid potestatem, etiam facilitatem acquirendi auget spemque provocat possidendi, sicut divitiae, bona corporis mentisque valetudo, scientia[1]). Experientia dici potest instrumentum, telum spei; ipsa quandoquidem armatus homo, quid prudenter sperare queat, cui prudentius renuntiare debeat, perspicit facilius, habilitati suae scienter fidit. Merito Aristoteles in II Rhetor. XIII dicit, senes fere totam spem amisisse. Diu vixerunt, nec frustra deceptionibus eruditi sunt, ut spei cautius indulgeant. Juvenes e contra abundant spe. Lepide hoc explicat s. Thomas. Praeter penuriam praeteritorum memorandorum, inexperientia vicissitudinum humanarum, maxime autem juvenilis ardor spem nutriunt iuventae.

Effectus spei.

Fert secum spes delectationem, interdum temperatam timore; excitat sustentatque sollertiam; ei fervet opus; pigritiam ceu hostem aversatur, audaciam ceu sociam colit, benevolentes amplexatur amanter, longanimis in exspectatione, laborum patiens, aleas et pericula sustinet. Videsne quam complicata passio sit spes? Objectum absens, futurum, spei actus praesens certitudinem obtinendi quamdam ferens timore mistam. Sperantis est animo fluctuare jam alacri, jam flacco.

Natura virtutis spei.

His praemissis, jam facile est assignare generales rationes spei theologicae. „Summum bonum quod est beatitudo aeterna, homo adipisci non potest nisi per auxilium divinum, secundum illud Rom. VI, 23: Gratia Dei vita aeterna. Et ideo spes adipiscendi vitam aeternam habet duo objecta, scilicet ipsam vitam aeternam quam quis sperat, et auxilium divinum a quo sperat... Spes habet rationem virtutis ex hoc ipso quod homo inhaeret auxilio divinae potestatis ad consequendum vitam aeternam. Si enim aliquis initeretur humano auxilio, vel suo vel alterius... esset hoc vitiosum... Formale objectum spei est auxilium divinae potestatis et pietatis, propter quod tendit motus spei in bona sperata quae sunt materiale objectum spei... Omnia materialiter sperantur, ordinantur in unum finale speratum quod est fruitio Dei. In ordine enim ad hanc fruitionem speramus adjuvari a Deo, non solum spiritualibus, sed etiam corporalibus beneficiis“[2]).

---

1) Ibid. qu. 40, a. 5.

2) Quaest. disp. de Spe, a. 1.

Hactenus s. Thomas qui his paucis verbis omnia ad virtutem spei compendiavit. Ita ut spes definiri possit: virtus theologica a Deo infusa, qua voluntas firmiter innitens omnipotentia et misericordia Dei, ab ipso exspectat primo et per se beatitudinem supernaturalem animae, secundario reliqua ardua quae beatitudinem praeparant vel subsequuntur.

Virtus supernaturalis spei hinc differt a spe naturali, quia tendit in res supernaturales; inde cum ea convenit, in eo quod prosequitur bonum futurum, arduum et possibile.

Objectum formale spei.

Ratio formalis omnis motus spei fundatur in possibilitate adipiscendi bonum desideratum. Possibile autem est aliquid nobis dupliciter: uno modo per propriam potestatem; alio modo per auxilium alterius, nam quae per amicos sunt possibilia, aliqualiter possibilia dicimus. Loquendo de virtute theologica spei, speramus aliquid, ut possibile nobis per divinum auxilium, quod voluntas firmiter innixa promissis exspectat ab omnipotentia et misericordia Dei, qui solus Omnipotens et Misericors est, sanat infirmitates naturae nostrae, roborat nos atque ad ordinem supernaturalem elevat. Proinde affirmamus, formale objectum spei theologicae esse omnipotentiam et misericordiam Dei.

Id enim est objectum formale spei:

1. quod ei dat ultimam differentiam; 2. quo distinguitur a reliquis virtutibus theologicis. Atqui omnipotentia et misericordia divina haec omnia sunt. Ergo.

1°. Ultima differentia spei sumitur ex objecti bonitate quod est possibile obtentu. Atqui bonum materiale spei est possibile tantum per omnipotentiam et misericordiam Dei, non bonitatem quae potentiam facit beantem. Ergo.

2°. Deus attingitur vel ut in se, vel ut causa veritatis et bonitatis: in se per charitatem; ut causa veritatis per fidem ut causa bonitatis per spem. Sed Deus non est causa bonitatis per bonitatem. Ultima ratio quare Deus creat est omnipotentia infinite bona et deinde hominem lapsum restaurat—omnipotentia infinite misericors. Ergo id quo spes ultimo distinguitur a reliquis virtutibus theologicis est omnipotentia et misericordia divina.

Confirmatur argum. Id est objectum formale spei quod est ultimum motivum orationis. Atqui ultimum motivum orationis est omnipotentia et misericordia divina. Ergo.

Cum enim supremum bonum quod speramus vere arduum sit, nec sine divino auxilio attingi possit omnipotentia et misericordia Dei invocatur.

Id sane colligitur ex innumeris s. Scripturae textibus, hac etiam mente orat Ecclesia.

Objectum materiale spei.

Omnis motus spei fertur in duo objecta, scilicet in bonum adipiscendum quod speratur. Id quo speratur est cmnipotentia et misericordia divina seu objectum formale spei; id vero quod speratur est beatitudo supernaturalis animae — objectum materiale spei.

Prob. Objectum materiale spei debet esse id: 1⁰. quod auxilio omnipotentiae et misericordiae Dei acquiri potest. Atqui beatitudo aeterna solum tali auxilio accessibilis est. Ergo.

2⁰. quod est bonum altissimum, simpliciter arduum — hoc est gloria aeterna.

Praeter objectum proprium spei oportet distinguere objectum commune spei seu illa bona ardua sive spiritualia sive temporalia quae referuntur mediate ad vitam aeternam, ad quam beatitudinem, sicut ad finem multa ardua concurrunt.

Ipsum igitur objectum proprium spei dividitur in primarium seu beatitudo supernaturalis animae et secundarium habens rationem medii ad illam consequendam.

Etenim primarium dici potest quod primo et per se cadit sub omnipotentiam et misericordiam divinam. Sed beatitudo seu glorificatio est maximum opus omnipotentiae divinae transcendens cetera opera sc. creationem, justificationem[1]); simul est supremum opus misericordiae tollendo malum poenae, defectum culpae et creaturae.

Objectum proprium secundarium sunt media ad hujusmodi beatitudinem obtinendam, sc. gratia ex parte Dei et merita ex parte subjecti. Nihilominus tamen gratia et merita non est causa, sed objectum spei, ut recte corrigit s. Thomas Magistrum Sententiarum, dicendo illum loqui de spe formata, quam praecedunt charitas et merita charitate acquisita[2]).

Subjectum spei.

Tota vis characteris supernaturalis consistit in voluntate firmi-

---

[1]) Sum. theol. I. II, qu. 113, a. 9.

[2]) Ibid. II, II, qu. 17, a. 8.—

ter innixa auxilio divino et exspectante facilitatem personalem[1]). Ista firmitas etiam se extendit ad alias virtutes quae sunt circa media ad ultimum finem. Quia sicut charitas est forma virtutum in genere et fides forma extrinseca omnis veritatis, ita spes est forma extrinseca pro virtutibus characteris, ita ut cruces, tentationes, tribulationes, quid dicam, etiam mors, spe vitae aeternae supergrediuntur. Exspectatio autem motum fugae retinet quacum surgit erectio animi, attentio accentuatur, motus spei crescit, intensive augetur et bonum arduum vincitur.

De dono fortitudinis.

Praenotatis de donorum natura eorumque connexione cum aliorum habituum supernaturalium characteris christiani, perpendamus nunc momentum doni fortitudinis, tamquam specificum attributum characteris supernaturalis.

Indicaturi momentum doni fortitudinis in ambitu characteris christiani, oportet assignare distinctionem inter virtutes et dona in genere et inter donum et virtutem fortitudinis in specie.

Distinctio inter virtutes et dona.

Ex aliunde jam notum est dari duplex principium operationum: intrinsecum seu ratio formata virtutibus naturalibus supernaturalibusque, extrinsecum seu Deus movens instinctu Spiritus Sancti. Manifestum est autem omne motum debere esse proportionatum motori. Secundum quod homo natus est moveri per rationem perficitur virtutibus, secundum vero quod est dispositus ad hoc quod divinitus moveatur perficitur donis[2]).

Igitur diversitas principiorum moventium est causa remota distinctionis inter virtutes et dona. Praeter istam causam remotam s. Thomas notat causam proximam seu differentiam formalem inter virtutes et dona, quae consistit in modo agendi dum dicit: „*dona a virtutibus distinguuntur in hoc quod virtutes perficiunt ad actus modo humano, sed dona ultra humanum modum*" [3]).

---

[1]) Ibid. qu. 18, a. 1.

[2]) Sum. th. I, II, qu. 68, a. 1; cf. qu. 69, a. 1; II, II, q. 8, a. 5; q. 19, a. 9; qu. 52, a. 1, 3; qu, 121, a. 1; qu. 139, a. 1; III, q. 7, a. 5 ad 1m.

[3]) Ibid. a. 8.

Conveniunt igitus virtutes et dona in hoc, quatenus versantur circa idem objectum materiale, distinguuntur autem ex parte actus et objecti formalis[1]).

Virtutes disponunt hominem ad agendum conformiter suae naturae humano modo secundum regulam rationis e t fidei, donis vero homo operatur ultra humanum modum secundum regulam divinae sapientiae et inspirationis[2]). In hoc consistit eorum ratio formalis: *„donorum propria est ratio, ut per ea quis super humanum modum operetur"*[3]); ex hac ratione sumitur eorum excellentia et superioritas supra virtutes; donum in hoc transcendit virtutem, quod supra humanum modum operetur[4]).

Haec differentia statuitur non tantum inter virtutes acquisitas et dona, sed etiam ratio doni non salvatur in virtutibus infusis, quae simul acquisitis dici possunt virtutes humanae, e contra dona accipi possunt ut virtutes divinae[5]). Dona sunt „q u a e d a m d i v i n a e v i r t u t e s", scilicet modum operandi, ultra humanum modum perficiendo. Virtutes autem infusae dicuntur humanae, quia in eis modus operandi humanus servatur[6]). Et hoc perfecte consonat ipso nomine doni, quod ex sola liberalitate donantis attribuitur ei quo est, et non ex debito suae conditionis. Ista ratio doni non verificatur etiam in virtutibus infusis eodem modo ac in dono Spiritus Sancti, quamvis enim substantia virtutis infusae est donum gratuitum, modus agendi ejus est conformis naturae humanae [7]). Usus activus virtutum infusarum

---

1)Sum. th. I, II, 68, qu, a. 1 ad 1m. „Dona nominantur quandoque virtutes secundum communem rationem virtutis; habet tamen aliquid superveniens rationi communi virtutis, in quantum sunt quaedam divinae virtutes, perficientes hominem, in quantum est a Deo motus"

2) In Mag. Sent. 1. III, dist. 34, q, 1, a. 3. „Cum dona sint ad operandum supra humanum modum, oportet quod donorum operationes mensurentur ex altera regula humana virtutis, quae est ipsa Divinitas parcitipata suo modo, ut jam non humanitus, sed quasi Deus factus participatione, operetur"

3) Ibid. dist. 35, q. 11, a. 3.

4) Ibid. d. 36, q. 1. a. 3. Cf. I, II, q. 68, a. 2 ad 1m.

5) „Virtus humana, quae disponit ad actum convenientem naturae humanae, distinguitur a divina virtute vel heroica, quae disponit ad actum convenientem cuidam superiori naturae. Sum. theol. I, II, qu. 54, a. 3,

6) Cf. In Mag. Sent. 1. III, dist. 34, q. 1, a. 1.

7) In Mag. Sent. d. 34, q. 1, a. 1 ad 2m. „Ratio doni non salvatur in virtutibus etiam infusis, quantum ad omnia, secundum quod salvatur in donis

ominino dependet a voluntate deliberata hominis; in donis competit ei solummodo usus passivus, quia homo superiori instinctu Spiritus Sancti movetur et inclinatur ad aliquid agendum [1]),

Differentia inter virtutem et donum fortitudinis.

Occurrit nunc quaestio, utrum revera virtus fortitudinis videtur esse insufficiens ad suum munus fungendum sc. ad sustinendum et aggrediendum omnia pericula, quae impediunt bonum rationis vel contrariantur regulae fidei. Antequam respondebitur fas est claram notionem doni fortitudinis ponere, quae partim ex natura doni, partim ex propria sua conditione deducitur.

Cum donum elevet ad operationem quae est supra humanum modum, oportet quod circa materias omnium virtutum sit aliquod donum quod habeat aliquem modum excellentem in illa materia[2]). „*Et ideo in omnibus viribus hominis, quae possunt esse principia humanorum actuum, sicut sunt virtutes, ita etiam dona, scilicet in ratione et in vi appetitiva*“[3]).

Patet igitur, quia differentia specifica donorum sumitur tantum ex modo operandi, donum fortitudinis versatur circa idem objectum materiale et in eodem subjecto manet ac virtus fortitudinis, notanda est solummodo ratio formalis doni fortitudinis, ut etiam materia communis fortitudinis appareat elevata a superiori principio.

Proprium virtutis fortitudinis est firmitas animi, quia irascibilis roboratur, ut a bono arduo prosequendo non desistat etiam in maximis periculis. Haec materialiter conveniunt etiam dono fortitudini. Tamen sciendum est, fortitudinis virtutem mensuram sui actus habere humanas vires, unde ea quae transcendunt vires hominis, neque aggreditur, neque sustinet. Excedere audem ultra has limites est temeritatis vitium, sicut ut deficere in quantitate suarum virium in sustinendo vel aggrediendo hujusmodi, est signum pusillanimitatis. „Sed quod homo in omnibus his pro mensura accipiat divinam virtutem, ut scilicet ad ardua

---

praedictis; quia modus operandi qui est in virtutibus, est secundum conditionem humanam, quamvis substantia habitus sit ex divino munere“.

[1]) „*Istae perfectiones vocantur dona, non solum quia infunduntur a Deo, sed quia secundum ea homo disponitur, ut efficiatur prompte mobilis ab inspiratione divina*“. Sum. teol. I, II, q. 68, a. 1.

[2]) In. Mag. Sent. III, dist. 34, q. 1, a. 4.

[3]) Sum. theol. I, II q. 68, a. 4.

virtutis opera se extendat, ad quae scit se suis viribus non sufficere, et pericula quae vires suas excedant non formidet divino auxilio innixus, supra humanum modum est: et hoc totum efficitur per donum fortitudinis„[1]). Virtus fortitudinis igitur firmat animum, secundum modum connaturale homini, donum autem supernaturaliter[2]).

Iterum donum fortitudinis dat fiduciam evadendi quaelibet pericula et perveniendi ad finem cujuslibet operis, quod quidem excedit naturam humanam. Quandoque enim consecutio finis seu operis, vel evasio omnium malorum et periculorum transcendit potestatem hominis, ipsamque fortitudinis virtutem. Necesse est igitur, ut infundatur quaedam fiducia menti Spiritus Sancti, contrarium timorem excludens, et hic intercedit ratio doni fortitudinis[3]). Ideo dicendum est, quod virtus fortitudinis est circa difficillima secundum genus, non tamen secundum comparationem ad operantem, quia non excedunt vires ejus. Sed fortitudinis donum etiam est circa illa que excedunt humanam facultatem; nec tamen stulte, quia non excedunt facultatem divinae potentiae cui donum illud innititur[4]).

Praeterea virtus fortitudinis reprimit trepidationem quae habetur potius ex difficultate adversantium, at donum fortitudinis fiducia divini auxilii innixum illam reprimit quatenus habetur non solum ex difficultate adversantis, sed etiam ex infirmitate hominis ad resistendum, vel etiam impotentia[5]).

Denique autem donum fortitudinis maxime respicit supererogationis opera quae ordinarie excedunt humanas vires et virtutem fortitudinis[6]).

Ex dictis jam faciliter concludi potest, quodnam est momentum doni fortitudinis in integritate characteris christiani.

Sicut virtus fortitudinis moralis, sive acquista sive infusa, firmat irascibilem hominis contra timores et audacias secundum regulam rationis et fidei et virtus fortitudinis supernaturalis spei, innixa divino auxilio, perficit et roborat voluntatem contra duplicem infirmitatem supernaturalem, ita donum fortitudinis prae-

---

1) In Mag. Sent. III, dist. 34, q. 1, a. 2.
2) Ibid. qu. 1, a. 2 et qu. 3, a. 1. q. 1; Sum. th. II, II, q. 139, a. 1.
3) Sum. theol. II, II, q. 149' a. 1.
4) In Mag. Sent. III, d. 34, q. 3, a. 1, q. 3, ad 3m.
5) Ibid. b. 3, a. 1, q. 3 ad. 2m.
6) Ibid. q. 3, a. 1, q. 3 ad 1m.

paret animam ad recipiendum extraordinarios impulsus Spiritus Sancti, quibus homo divinitus motus adimpleat actus fortitudinis transcendentes vires naturae, si non eorum objectum materiale, saltem eorum modum humanum.

His verbis innititur speciale doni firtitudinis momentum in charactere christiano. Spes habet suam applicationem in vita et charactere christiano in communi, donum vero fortitudinis principaliter respicit actus heroicos characteris. Obediendo igitur instinctui Spiritus Sancti, notat s. Thomas, *„non expedit consiliari secundum rationem humanam, sed quod sequantur interiorem instinctum, quia movemur a meliori principio quam sit ratio humana*“. Et hoc est quod quidem dicunt quod dona perficiunt hominem ad altiores actus quam sint actus virtutum“[1]). *„Et haec opinio inter omnes vera videtur*“[2]).

Probatur thesis.

Postquam sat accurate quid sit character quique substratus ejusdem exposuimus atque interna externaque principia ejusdem definivimus, post indagatam fortitudinis tum naturalis tum supernaturalis naturam, superest facile pariterque breve probandae theseos officium.

Ex iis, quae diximus de virtutibus characteris nemo accusationem levabit nos integrum characteris objectum in una locare fortitudine. Affirmando praecipuam esse virtutem haud intendimus ceterarum minuere dignitatem, sed primum quem reapse inter characteris virtutes occupat locum assignavimus ei, praelationem hanc probaturi.

Item characterem tum demum perfectum, quum totam nostram ut naturae ita gratiae complectitur vitam rati, his incumbemus probandis.

Tripartitam ponimus argumentationem pro:

I fortitudine characteris naturalis;

II spe characteris christiani;

III dono characteris mystici.

Sic trifariam praesentata fortitudo viget organice una in charactere christiano.

---

1) Sum. theol. I, II, qu. 68, a. 1.

2) In Com. Mag. Sent. dist. 34, qu. 1, a. 1.

Argumentationis pars I.

1) Ex usu sensuque loquendi. Saepe doctam characteris analysin haud possidentes exclamant vulgus: En quanti characteris vir, femina! Frequenter praesentis generationis hominibus denegant characterem, paucissimis concedentes. Quidni? Nisi quod fortitudinem privam characteris principalemque dotem esse voluit? "Une âme généreuse, entreprenante, tenace dans ses résolutions que n'effraie pas l'obstacle et que la douleur n'abat jamais." La force d'âme, la fermeté, les énergies courageuses de l'esprit, les qualités qui assurent l'indépendance de la personne morale"[1]).

2) Ex communi consensu auctorum characterem definientium, nam universis principalis dos characteris apparet fortitudo.

At praeter auctoritatem doctorum aliae nobis militant rationes ex ipsa characteris notione depromptae.

a) Character significat signum distinctivum, notam moralem individui, quinimo aliquid superadditum naturae humanae. Cunctae sane characteris qualitates proprio acquiruntur marte, sed praeit fortitudo. Homo enim qua animal rationale pollet prudentia, qua sociale — justitia; decet eum temperantia, sed haec vix conferunt praerogativam notam, qua character emineat, dum fortitudini habenti subjectum in irascibili per excellentiam hoc competit.

b) Dicimus characterem esse complexum habituum operativorum moralium. Atqui ad essentiam habitus operativi pertinent firmitas et constantia; ceterum definitur hic: qualitas difficulter mobilis, qua quis operatur prompte, faciliter, delectabiliter, ac si naturaliter omnino operaretur, quod quidem sine fortitudine haberi nequit. Ergo jure fortitudinem latiori sensu privam asserimus characteris notam singularemque.

c) Pariter interrogantibus, cui character moralem debeat virtutem — fortitudini respondemus eidemque in irascibili agendi vigorem haurienti primas damus partes.

d) Praeterea character supra virtutes in communi addit majorem radicationem habitus in subjecto, quia intime penetrat personam et potentias.

Atqui haec radicatio perficitur firmitate adhaesionis habitus et perseverantia continua impellendi subjectum ad actionem, sicut patet ex principalibus qualitatibus characteris.

e) Denique principalem characteris virtutem vocamus illam

---

[1]) *Compayré,* Psychologie appliqué á l'éducation. 2me vol. p. 183.

quae personam moralem notat (individuat) simulque roborat in debilioribus praesertim partibus ejusdem augetque.

Atqui haec virtus est cardinalis, fortitudo dicta.

Character moralis est temperamentum non conscium educatione transformatum: quod autem eximit personam est passio irascibilis; igitur nota, quam haecce passio vehit, merito principalis nota personae moralis habenda.

Atqui haec est virtus cardinalis fortitudo.

Ab irascibili ceu potentia principali, subjecto characteris procedendo addimus. Id, quo maxime infirmatur irascibilis, infirmatur character quoque. — Atqui passionibus timoris maxime debilitatur irascibilis et character. - Ergo virtus firmans irascibilem contra timorem est principalis virtus irascibilis et characteris; jamvero haecce est virtus cardinalis fortitudo.

Discrimen inter nostram auctorumque solutionem problematis emicat eo, quod illi excepto fere nullo, characteris vim adjudicant voluntati, dum nos appetitui irascibili adeoque passionem irascibilis educationi commendamus enixim.

Videmur nobis veritati servire has ob rationes.

Voluntas humana sua natura determinatur ad rationis bonum operibus humanis, ita ut non egeat virtute ulla, qua inclinetur in proprium bonum suppositi sui. Et quia non inclinatur naturaliter in bonum alterius, eget voluntas virtute aliqua in semetipsa ut recte velit bonum alterius — quae virtus est justitia.

Sed justitiam haud consideramus velut specificam characteris virtutem, quandoquidem non perficit nostram personam quatenus operantem neque satisfacit characteri ceu signum distinctivum individui: hoc autem competit fortitudini in appetitus irascibili non in voluntate sitae.

Sequitur inde voluntatem quantum in se recta ratione regulatam absque habitu fortitudinis recta quidem egisse fortia, nisi motibus appetitus sensitivi, timore videlicet vel audacia, impediretur; sed quoniam impeditur, opus est fortitudo appetitui irascibili.

Concludimus ergo fortitudinem praecipuam esse characteris virtutem tum quia tollit quidquid recto voluntatis obstat arbitrio, tum quia ipsum, in quo viget, subjectum roborat ad prompte faciliterque moderandum timorem et audaciam; tandem quia rectitudinem praestat operibus externis.

Argumentationis partes II et III.

Sicut fortitudo virtus est principalis characteris naturalis, ita spes donumque fortitudinis—virtutes characteris supernaturalis

Nam si characterem pressius consideramus, regit is facultates agendi nostras, roborando contra infirmitates in ordine supernaturali eas tum spe, tum fortitudinis dono.

Character etenim christianus debet dominari in totam vitam omnemque characteris virtutem firmare. Atqui virtus theologica spei quae versatur circa beatitudinem tamquam ultimum finem, omnipotentia misericordiaque divinitus nititur, dominatur omnibus aliis virtutibus characteris easque ut intermedias divina fortitudine ditat.

Item fortitudo characteris christiani non solum in consuetis hujus vitae eventis et periculis debet se monstrare, sed etiam in iis, qui omnimodo excendunt vires humanas.

Ergo merito spem et fortitudinis donum columnas characteris supernaturalis nuncupare debemus.

His ut consentiat quispiam, naturam spei donisque fortitudinis, ut perspexerit, sufficiet; de quibus jam sat egimus.

Temperamentum supernaturale, quod creat sustentatque in homine gratia sanctificans, essentiae animae infusa, velut natura nova et radicale principium operationum, transformatnr in characterem supernaturalem, quando homo sui compos coepit uti virtutibus infusis. Tum demum apparet virilitas characteris[1]).

Fortitudo quum sit nervus operandi in iis quae sunt ad finem, firmat irascibilem; spes vero, quum versetur circa ipsum finem, inclinat voluntatem in bonum supernaturale, naturalem inclinationem excedens.

---

[1]) „La vertu de force passe à l' exécution, attaque réellement les obstacles qui barrent le passage, la courage de l'espérance est tout affectif, non encore effeciif; elle s'élance vers l'object malgré les obstacles mais en désir seulement. La force lutte contre les obstacles extérieurs sur lesqueles elle a une prise et qu'elle peut vaincre par ses efforts. La difficulté requise pour l'espérance n'est souvent que l'incertitude de l'object; nous avons alors d'autre effort à faire que contre le propre découragement. La vertu de force vise uniquement à perfectionner l'activité personnelle: l'espérance peuttrès bien s'appuyer sur le secours d'autrui. C'est de Dieu et non pas de nos propres forces que l'espérance chrétienne attend la victoire sur les difficultés insurmontables sans la grâce. *Vacant et Mangenot* Dicionnaire de théologie catholique. L'espèrance, t. V p. 610, Paris, Letouzey et Ané, 1913. cf. Qu. disp. De potentia qu. VI, a. 9 ad 11 Objectum spei est arduum consequendum, non autem orduum faciendum.

Confirmantur argumenta sive quoad fortitudinem sive quoad spem auctoritate Scripturae Sacrae.

Conveniens etenim, fuit, ut probat s. Doctor, etiam aliqua praecepta de his in lege divina statuere.

Fortitudo cadit sub praecepto legis divinae secundum quod convenit ordinare mentem in Deum et propter hoc Deut. XX, 3 dicitur: „*Nec formidetis eos, quia Dominus Deus vester in medio vestri est, et pro vobis contra adversarios dimicabit*"; vel Isaias dum loquitur et vituperat pusillanimos cap. XXXV. 3: „*Confortate manus dissolutas et genua debilia roborate....*" Saepe Moyses timidum populum monet v. gr. XXXI, 6: „*Viriliter agite... nolite timere*" et ipse quidem Deus ter Josue ad virilitatem exhortat... I, 6: „*Confortare et esto robustus...*"[1]).

In Veteri Tastamento confortatur plebs judaica praecipue contra inimicos externos terrae a Deo promissae, in N. Testamento conceptus fortitudinis altiorem sensum accipit et instruendi sunt homines in fortitudine ad pugnam spiritualem ad possessionem vitae aeternae secundum illud Matth. XI, 12: „*Regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud*"[2]).

Quam plurimi textus V. et N. Testamenti fulciunt nostram thesim eo sensu, quod defectuositas characteris saepe saepius timorem radicitus habet[3]). Unde multoties exclamat Propheta: „*Viriliter agite et confortetur cor vestrum...*[4]), et Apostolus I ad Cor. XVI, 12 hac tessera resumit programmam characteris chrisiani: „*Vigilate, state in fide, viriliter agite et confortamini*".

Neque deficiunt limpidissimae expressiones Scripturarum de de spe. In V. Testamento spes tam intime est conexa cum fide, fiducia in Messiam, ut fere impossibile sit sine alteratione textus illa uti. Praeter istam spem invenimus trifariam classem textuum spei: 1a. condemnatio spei humanae, quae nititur sive propria virtute sive bonis externis sive amicorum potestate[5]); 2a. commendatio spei directe tum in se, ut est spes theologi-

---

[1]) Canticum Moysis Exod. XV. Laus fortitudinis; Js. IX, 6; XXV, 4; XXVI, 4; XVIII, 2; LX, 16; Jerem. XX, 7-11; XXXII, 18; LI 56 etc.

[2]) Petr. I. c. V, 8-9 Resistite fortes in fide.

[3]) Jos. VIII, 1. Ne timeas, neque formides; Is. VII, 4; Luc. XII, 4. Math. X, 28, etc...

[4]) Ps. XXII; XXVI; XLV; XLVII, LIV; LIV; LV; XC.

[5]) Eccles. XXXI, 8, Prov. XI, 28; XII, 2; XXVIII, 25; Psal. CXLV, 2, CXVII, 8; Is. XXXI, 11 Jerem. VII, 4; VIII; XIII, 25; XVII, 5, etc.

ca, tum in affectibus, moralibus, tum in heroibus spei[1]); 3a. in orationibus, quorum auctor per excellentiam est Psalmista.[2])

In Novo Testamento fiducia et spes saepe promiscue sumuntur. S. Paulus, dici potest, in tota suae animae expansione heroes spei ejusque theologus fit. Sicut Abraham contra spem in spem credidit, ut pater multarum gentium evadat, ita Apostolus contra spem in spem credendo totum mundum Christo crucifixo subjugavit[3]). En sublime exemplar fortitudinis christianae, inextinguibile ardensque lumen actionis: *In te Domine speravi, non confundar in aeternum!*

Sicut spes theologica fons est, ex quo character christianus vigorem haurit suum, sic donum fortitudinis fons characteri mystico. Hoc dono fretus, homo oboedit inspiranti Spiritu Sancto, atque pro mensura suorum actuum accipit divinam virtutem secundum illud Vatis: „*Diligam te Domine, virtus mea*" (Psalm. 17) neque difficultatibus quibus proprio marte imparem se novit fateturque, terretur, nam: „*In Deo meo transgrediar murum*", illatarum injuriarum tantum abest ut vindictam quaerat, ut iis glorietur potius; praemia meditans aeterna heros fit christianus, vita sua veritatem confirmans paulini dicti: „*omnia possum in eo qui me confortat* (Philip. IV, 13),

Conclusiones practicae ad fortitudinem characteris educandam.

Aequum est theoriae praxin adjungere. Indiget educandae fortitudinis opus cooperatione copiosa constantique multarum qualitatum ac virtutum.

Multorum, quos in alterutrum anima corpusque continuo exercent, influxum habetur ratio. Igitur quanto natura praecellit, tanto cultura praecellat anima corpus; ceterum harmoniae inter utriusque potentias consulitur scite qua fieri possit plenae.

Educationi physicae promovendae.

Omnes norunt in formatione juventae ludos plurimi jure

---

1) Prov. XVI, 20; XXVIII, 25; Sap. XXIX, 25, XXXIX; Psal. XC; XLI, XV; Prov. XIV, 26; XXVIII, 1; Judic. VII; IX; Tob. II, 15.

2) Omnes psalmi sicut et orationes necessario spem includunt.

3) Ad Rom. IV, 19-22; V, 2; VIII, 20-26; II Cor. V, 2; Col. I, 27; I Thess. I, 3; I. Tim. I, 1; VI, 17; Hebr. III, 6; Matth. X, 37; IX, 2; Marc. VI, 50; Luc. XII, 31, 32 etc...

merito aestimari velut privam characteris scholam; in ludis enim sponte produntur tam animae quam corporis dotes defectusque simul, ut suae peadagogus expertus artis illas quidem amanter foveat, hos contra fortiter compescere, retundere, exstirpare queat, dum satagat[1]).

Exercent ludi virtutes, quas vita communis, quas respublica flagitant, quibusque fortitudo parens: vigilantiam, obedientiam, sollertiam, aequitatem, abnegationem sui, patientiam. Ludorum sunt qui ingenio acuendo, qui corporis gratiis, viribus, agilitati augendis inserviant magis.

Vetat prudens paedagogia alterutris indulgere solis — imo utrisque jubet concedere partes pro sexus, aetatis, temporum, locorum morumque varietate. Palaestrae nimium mactare vitium putat; agitur enim ei, ut fingantur non pugiles amazonesve, at viri mulieresque integri, quibus mens sana in corpore sano vigeat, capaces id vitae genus quod dederit Deus videndi digne, cum fruge laeta, capaces generandi prolem sanam robustam vel educandi juventutem sapienter fortiter suaviterque.

Saluberrimum fortitudinis educandae elementum ordo, quippe qui hominem exigit vigilem, promptum, sui suarumque rerum dominum, regularum sequacem, etiam in parvis fidelem constantemque. Morbi fortitudinis hostes timiditas, pusillanimitas, mollities ignaviae vecordiaeque faciliter parentes; quamobrem absque indutiis debellandi donec deleantur.

Formationi intellectuali evolvendae.

Voluntas, quamquam per hyperbolem regina characteris vocatur, a multis elementis pendet, ut indigeat intellectus auxilio, quo septa semper digna velle, meliora malle atque characteri potestatem salutarem communicare valeat.

---

[1]) Loquimur tamen de exercitiis corporalibus cum aliqua restrictione remittendo lectorem ad opus *Dr. A. Mosso*, qui scite de hac materia tractat. „La vigueur de l'organisme, dicit auctor" est la résultante de beaucoup de fonctions. La peau, les poumons, le coeur, le systéme nerveux et les organes digestifs sont certainement plus importants que les muscles. Aussi dans l'éducation psysique ne doit-on pas donner une importance prédominante à l'exercice des muscles. Les marches au soleil, le patinage, les bains, la natation, la course et tout ce qui a pour effet de nous fatiguer et de consumer lentement notre organisme, de le reconstituer dans les conditions atmosphériques plus favorables dans un milieu qui stimule l'activité de la vie. Telles sont les bases de la vraie et bonne gymnastique". p. 121. L'éducation physique de la jeunesse, Paris, Alcan, 1895.

Intellectus autem auxiliatur voluntati eo, quod objectum suum, nempe verum, praesentat eidem: sic verum voluntati ceterisque facultatibus appetitivis fit bonum. Igitur quidquid intellectum perficit, roborat, elevat ejusdemque potentias — voluntati quoque proficit plurimum et appetitui sensitivo.

Jam patet inde, quantum intersit, ut prius intellectus ipse formetur rite, veri copia ditescat.

Formatur autem educaturque intellectus duobus: prius quidem principiis rationem illustrantibus atque persuasionibus eandem stabilientibus; dein sensuum internorum externorumque cultura.

Primas in educatione intellectuali agit partes prudentia, quae vinculum quoddam est intellectum inter et voluntatem; nam intellectum excolit argumentis inde voluntatis ordinat materiam[1]). Reliquae disciplinae artesque solum speculativum tangunt intellectum charactere morali, qui tamen circa principia particularia versatur agibiliaque, neglecto tangunt tractantque. Ideo tot homines docti a charactere morali longe distant.

Proba educatio semper aget cum consilio, imprudentiam, inconsiderantiam, praecipitantiam velut characteris fortis, virtutis, boni successus inimicas cavendo solerter, praeclarum D. Thomae observavit rite praeceptum: „*Gradus, per quos oportet ordinate descendere, sunt: memoria praeteritorum, intelligentia praesentium, solertia in considerandis futuris eventibus, ratiocinatio conferens alia aliis, docilitas, per quam aliquis acquiescit sententiis majorum*“[2]). Atque hocce apprime partes indicat intellectus in oeconomia characteris fortis.

Item, quum non versetur in intellectu quidquam, quin antea fuerit in sensu, phantasia utriusque mediatrix partis pariter sollicite colenda, ne intellectum imaginibus vanis noxiisve obnubilet, fallat, depravet, sed potius veris, ulilibus, pulchris juvet potenter. Denique exempla proponenda sunt frequenter, quandoquidem semper valebit illud Senecae dictum: „*longum iter per praecepta, breve et efficax per exempla*“.

Educationi morali flrmandae.

Characteris formatio pendet hinc ab educatione intellectuali inde ab appetitibus sensitivis necnon dispositionibus corporalibus.

---

[1]) I, II, qu. 58, a. 3 ad 1m; q. 61, a. 1.

[2]) II, II, qu. 33, a. 3.

Ultro fassi cognitionem praeire debere actui cuicunque humano, nefas remur consentire ideam cum vi confundentibus vel appetitum cum cognitione, quasi vi actus eliciente. Nihil sub sole novi; vetus enim jamque Socratis error iste, quem St. Thomas in I, II, q. 58, a. 2, solide confutavit atque experientia frequentissime prodit in hominibus ingenio, cultura mere intellectuali fulgentibus quidem, sed irreligiosis et criminalibus.

Alter extremus error voluntati soli cuncta tribuens haud minus damnandus vitandusque. Voluntas ceu principium internum characteris admittenda sane; pendet attamen tum ab intellectu tum ab appetitu inferiore passionum, siquidem appetitus sensitivus movet voluntatem per passiones, quibus voluntas dominari non valet despotico imperio, sed tantum politico et regali.

Passiones, quantum obsequuntur rationi et voluntate domantur, tantum prosunt corpori bonae valetudini favendo atque virium exercitia multiplicando; intellectui phantasmata vivide ejusdem pabulum advehendo; voluntati, hanc, ut agat patiaturque fortia, excitando, ceterum constat homines vel scientia, vel arte, vel virtute insignes, heroas gestis claros passionibus eminere. Passiones quantum rebellant nec domantur, tantum obsunt nocentque plurimum corpus terendo morbis, interdum incurabilibus; mentem phantasmatibus etiam foedis obnubilando, voluntati criminum illecebras prostituendo. Homini caeco brutoque, libidinum mancipio, nihil honestum, nihil sanctum; corrumpere et corrumpi una lex.

Non Stoicorum vel quorumdam recentium more apathiam praedicabimus illique vovebimus nos, at castigare passiones, elevare, nobilitare, sancire satagemus, ut vasa fiant virtutum, imo sanctitatis.

Quia de fortitudine characteris nobis agitur, timorem perstringemus, quo velut obsonio animus nutritur noster, nam „*neque laetamur, neque speramus, neque tristamur, neque desperamus, quin timor simul affectionibus se immisceat*“, ut haud falso ait Rogmann[1]). Itaque paedagogus timorem ne praterito. Num supprimere adlaborat? Nequibit! Quid ergo? Totis viribus adlaborabit, ut timor in iuvenibus elementum fiat maneatque usque non sterilitatis destructionisve, sed frugis bonae; initium sapientiae;

---

[1]) Op. cit. p. 74.

ne arceat a fortiter inchoandis incoeptis, in abstinendo a noxiis juvet, in sustinendis adversis ne deficiat; comes fidelis esto audaciae, prudentiae, patientiae. Fortis est et scire quid velit et coepisse intrepide paratum aequo animo sustinere tristia, aerumnas, diuturnitatem, deceptiones laboris donec attigerit metam.

Notentur hic Augustini verba: „*Patientes proprie dicuntur, qui malunt mala non committendo ferre, quam non ferendo committere*; *in illis autem, qui mala sustinent, ut male faciant, nec miranda, nec laudanda est patientia quae nulla est, sed miranda duritia, neganda patientia*". Aug. de patientia cap. V).

Per patientiam homo dominatur sibi, „*possidet animam suam*", dominatur, quamquam subiens, adversis; per patientiam homo perseverat.

Perseverantia militat adversus mollitiem in delicatis, adversus ignaviam in timidis.

Perseverantiae socia constantia est.

Quoad fortitudinem characteris supernaturalis.

Characterem christianum pedetentim nec sine marte conflat gratia divina vigori naturali sic mista, ut quid in operibus, quid in victoriis utri reveniat, discerni vix possit interdum.

Gratia non tollit naturam, sed perficit atque perficiet eo felicius, quo aptiorem devotioremque sibi invenerit. Tota Ecclesiae catholicae saeculis viginti per quascunque rerum humanarum vicissitudines laborantis, luctantis, patientis, usque morientis, usque resurgentis jam instar matris acceptae dilectaeque, jam instar hostis pulsae perosaeque historia mirabiles Dei providendo gubernantis, medendo elevandoque sancientis, nutriendo muniendoque coronantis operationes in hominibus peccato debilitatis demonstrat. Pontificum, sacerdotumque fidelium conditione cultura diversorum tam votis regulisque clausorum, quam in mundo libere versantium, caelibum conjugumve partim insontium, partim poenitentium sive confessorum sive martyrum vitae documenta praebent sic maxime varia, hoc tamen uno concordia: DEUS—HOMO JESUS CHRISTUS omnium Servator, Sacerdos, Hostia, Pabulum, Exemplar, Caput in suis electis dimicat, vincit, regnat, triumphat.

Prisci Job effatum „*Militia est vita hominis super terra*" (Job. VII, 1) fidelibus Christi cultoribus congruit ad amussim. Cum auctoritate militis perquam experti Paulus gentium aposto-

lus de christianorum pugna deque armatura disserit disertissime. Ipse Christus Dominus Rex atque dux noster in via salutis bellum praedicat illudque perpetuum. „*Nolite, inquit, putare pacem venisse me mittere in terram: non veni pacem mittere sed gladium*“ (Matth. X, 34). Item: „*Regnum coelorum vim patitur et violenti rapiunt illud*“ (Id. XI, 12).

Conditio salutis aeternae victoria. Nam: „*Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*“ (II, Timoth. II, 5). "*Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit*“ (Matth. X, 22). *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno*“ (Apocal. III, 21).

Atqui supponunt haec omnia characterem apprime formatum fortitudinem admodum vigorosam.

Jam hostes cognoscamus! Ducem eorum Paulus notat scribens „*Induite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insidias diaboli.*“ (Ephes. VI; 11). Duce noto, copias noscamus. Sunt tentationes et modo et gravitate diversissimae: pars in nobismetipsis latent, pars a circumdante nos mundo irruunt hominum rerumque. „*Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus*“, scribit Jacobus (Jacob. I. 14). Joannes autem: „*Nolite diligere mundum, neque ae quae in mundo sunt... quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitae*“ (Joan. I, II, 15, 16).

Atqui vaferrimos tamque potentes, tamque numerosos hostes debellare, devincere christianus, nisi charactere instructus apprime formato, fortitudine admodum vigorosa, qui posset?

Ut talibus congrediatur hostibus christianus cum spe victoriae, armaturam sumet? Paulus bellicae artis magister peritissimus monstrat... *accipite armaturam Dei, ut possitis resistere die malo et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros veritate et induti loricam justitiae, et calceati pedes praeparatione Evangelii pacis in omnibus sumentes scutum fidei, quo possitis omnia tela nequissimi ignea exstinguere; et galeam salutis assumite et gladium spiritus, (quod est verbum Dei) per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu et in ipso vigilantes in omni instantia*“... Ergo armatura intelligentiam, voluntatem, memorim, passiones armans nonne characterem, fortissimum, ut digne portetur, digne cum honore, cum gloria, cum victoria adhibeatur, exigit imperiose?

Qualis armatura, talis methodus dimicandi! Hanc nobis asseclis, militibus suis Deus — Homo Rex atque dux noster sapientissimis praeceptis notavit. „*Haec locutus sum vobis, ut in-*

me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis, sed confidite, ego vici mundum" (Joan. XVI, 33). „*Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*" (Marc. XIV, 38). *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae*„ (Joan. 8, 12). „*Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie et sequatur me*" (Luc. IX, 23). „*In patientia vestra possidebitis animas vestras*" (Luc. XXI, 19).

Praecepta haec quis christianus exercebit rite, laudabiliter, gloriose nisi charactere forti, fortitudine vigorosa dotatus? quam initio forte exiguam praecepta haec fideliter observando augebit usque donec invictus quodammodo evadat. Sed vel optime armatus, optime instructus, optimum ducem sequutus miles quomodo vincet, nisi ferveat amore causae. nisi nutritus ac sustentatus viatico militari solido, abundanti?

Jamvero his quoque providit Deus, nam fervorem infundit colitqne Spirtus Sanctus, quo per sacramentum confirmationis ungitur christianus miles Christi, quo roboratur dono septemplici, ut testimonium perhibeat coram universo mundo de Christo rege suo intrepide. Viaticum praestat semetipsum Rex divinus in Sacramento amoris: „*Qui manducat me, ait enim, et ipse vivet propter me*" (Joan. VI, 58).

Etiam vulneratis in furore pugnae providit Rex instituto sacramento Poenitentiae, moribundis autem sacramento Extremae Unctionis. Haec omnia intelligentiam, voluntatem, memoriam, passiones, hominem qua charactere excellentem, qua fortem spectant et exigunt.

Habemus, possidemum nos Christiani qua christiani fastos nostros, res praeclare gestas majorum nostrorum in vitis heroum quibus Ecclesia nostra catholica altaris honores decrevit, beatos, vel etiam sanctos nuncupavit, honorare, invocare, imitari praecepit.

Habemus historiam Ecclesiae catholicae nostrae qua nihil majus, potentius, gloriosius.

In tali schola quid docebitur, quidve discet inventus christiana nisi characterem fortem, intrepidum, fortitudinem periculis, timoribus quibuscunque parem, imo potiorem?

Regem saeculorum, ducem, mortis victorem omnipotentem sequentes armatura spirituali armati, pane divino nutriti, satiati, Spiritu Sancto uncti, roborati num trepidabimus, num cunctabimur?

Tessera nostra esto: „n u n q u a m r e t r o r s u m"!

BIBLIOGRAPHIA

Bailey Th. P., Berkley Ir. Bibliographical References in Ethology. The Univ. of California Press, 1899. Citantur ab auctoribus 596 opusc. hanc materiam spectantes.

Bauman J. Wille und Charakter. 1910[3].

Berman L. The glands regulating personality. New York, MacMillan.

Bourdet Eug. Des maladies du caractère. Paris, Germer Baillière, 1878.

Bush D. V., Waugh W. Character analysis.

Bahnsen Julius. Beiträge zur Charakterologie, Leipzig, Brockhaus, 1867, I. II Bände.

Compayré G. Psychologie appliquée à l'éducation. 2 vol. Paris, Delaplane.

„ „ L'éducation intellectuelle et morale. Paris, Delaplane.

D. La force chrétienne Paris, Mersch. 1900.

Davies H. Psychology of temperament. Phil. Rev. March, 1898.

Demeny Les bases scientifiques de l'éducation physique. Paris, Alcan, 1902.

Delporte Melle. Etude - médico - psychologique sur les altérations du caractère chez l'enfant. Paris, Boyer, 1901.

Delbrel. S. J. Jésus Educateur des Apôtres. Paris, Beauchesne, 1916.

Drury S. S. The development of Character. New York, MacMillan.

Dugas L. La timidité. Paris, Alcan. 6e. éd

„ „ L'éducation du caractére. Alcan, 1912.

Dupanloup. De l'éducation. Paris, Douniol, 1866[7]. 2 vol.

Elliot H. Human Character. London, Longman, 1922.

Elsenhans Th. Charakterbildung. Leipzig, Quelle und Meyer, 1925.

Fouillée Alfred. Tempérament et caractère. Paris, Alcan, 2e éd.

Fosbroke G. E. Character qualities outlined and related. Putnam.

Foerster F. W. Jugendlehre. Berlin, Reimer, 1906.

„ „ Schule und Charakter. Zürich, Schultess, 1907.

„ „ Jugendseele, Jugendbewegung, Jugendziel. München, Rotapfel, 1924.

„ „ Autorität und Freiheit.

Fassbender Wollen eine königliche Kunst Freiburg in Br. 1923.

Gillet O. P. L'éducation du caractère. Paris, 1913.

„ „ La virilité chrétienne. Paris, 1910.

„ „ La valeur éducative de la morale catholique. Paris, Gabalda, 1914[3].

Guibert, J. Le caractère. Paris, de Gigord, 1911.

„ „ La formation de la volonté. Paris, Bloud, 1908.

Ginon. Des moyens de développer par l'éducation la dignité et la fermeté du caractère, Paris, Poussielgue, 1901.

Håberlin P. Der Charakter. Basel, 1924.

Hellwig B. Die vier Temperamente bei Kinder. Prag; K. André 1921.[20].

„ „ Die vier Temperamente bei Erwachsenen. Paderborn, Esser, 1921.[18]

Hartenberg P. Les timides et la timidité. Paris, Alcan, 1920.[4]

Holmes A. Principles of character making. London, Lippincott, 1913.

Huot et Voivenel. Le courage. Paris, Alcan, 1917.

Jahrbuch der Charakterologie. Berlin, Rolf Heise, 1924. Vide A. Pfänder, Grundprobleme der Charakterologie, p. 289-335; Fr. K. Walter, Die materiellen Grundlagen der geistigen Persönlichkeit, p. 353-375. Ibid. 1925 an. Lipschütz, Innere secretion und Persönlichkeit; Prinzhora, Wege zur Charakterologie; Utitz E. Über Grundbegriffe der Charakterologie.

Jastrow J. Character and Temperament, New York, Appleton, 1915.

le jeune homme. Paris, Beauchesne. II p. ch. I.

Kerschensteiner G. Charakterbegriff und Charaktererziehung. Leipzig.

Kieffer F. L'autorité dans la famille et à l'école. Paris, Beauchesne, 1917.

King B. Conquest of fear. Doubleday.

Klages L. Principien der Charakterologie. Leipzig, 1920.[2]

Lindworsky J. Der Wille. Freiburg in Br., Herder.

„ „ Willenschulle (Handbücherei der Erziehungswissenschaft Bd. III).

Leclère Albert. L'éducation morale rationnelle. Paris, Hachette, 1909.

Lazurskij A. F. Klassifikacija ličnostej. Gosudar. Izdat., Leningrad, 1925.[3]

Mausbach J. Grundlage und Ausbildung des Charakters nach dem hl. Thomas von Aquin. Herder, 1920.[4]

Malapert P. Les éléments du caractère. — Paris, Alcan, 1906.

„ „ Le caractère. Paris, Octave Doin, 1902.

Maneuvrier, L'éducation de la bourgeoisie sous la République. Paris, Cerf, 1888.

Martin. Education du caractère, 1887.

Muszynski Fr. Die Temperamente. Ihre psycholog begr. Erkenntnis. Paderborn, Schöningh, 1907.

„ „ Der Charakter. Paderborn, Schöningh, 1910.

„ „ Die Temperamente. Wir Menschen nach d. naturl. Stimmung uns. Wesens... Paderborn, 1921.[2]

Mosso La peur. Traduct. de l'italien par F. Hément. Paris, Alcan.

„ L'éducation physique de la jeunesse. Paris, Alcan, 1895.
Natorp P. Gesamm. Abhandhungen z. Socialpädagogik.
Pearson K. On the inheritance of the mental and moral characters in man and its comparison with the inheritance of the physical characters. *Biometrica*, vol. 3, p. 131—190, 1904.
Paroz J. Les quatre tempéraments. Lausanne, Meyer, 1884.
Paulhan, F. Les caractères. Paris, Alcan, 1914.[4]
Perez. Le caractère de l'enfant à l'homme. Paris, Alcan, 1892.
Payot. L'éducation de la volonté. Paris, Alcan, 1921.
Queyrat Frédérec. Les caractères et l'éducation morale. Paris, Alcan, 1919.[5]
Radestock P. Habit and its importance in education. Boston, Heatand, 1886.
Ribery Ch. Essai de classification naturelle des caractères. Paris, Alcan, 1902.
Ribot Th. Les maladies de la volonté. Paris, Alcan, 10 éd.
„ „ Essai sur les passions. Paris, Alcan, 1910[3]
Rogmann. De timore. Luxemburgi, Schummer, 1913.
Schmitt L. Charakterologie als Neuwissenschaft. München, 1920.
Satolli Fr. Card. De habitibus doctrina Sancti Thomae Aq., Romae, Polyglotta, 1897.
Seeland N. Le tempérament au point de vue psychologique et anthropologique. Bulletins du Congrès International d'antropologie, 4., St. Petersburg, 1892.
Spencer Herbert. De l'éducation intellectuelle, morale et physique. Paris, Alcan.
Schofield A. T. The springs of Character. London, Hodder and Stoughton 1900.
Shand A. F. The foundation of Character. London, MacMillan.
S. Thomas Aquinas O. P. Opera omnia. Romae, Edit. Leonina.
Thomas P. F. L'éducation des sentiments. Paris, Alcan, 1921[6]
Vaissière S. J. Psychologie pédagogique. L'enfant, l'adolescent,
Walpols S. H. Fortitude. Doran.
Webb E. Character and intelligence. *Brit. Jour. Psy.* Monograph. Suppl., vol. I, III, 99 p. 1915.
Williams E. H. and Hoag E. B. Our fear complexes. Bobbs, 1923.
Williams T. A. Dreads and besetting fears. Little.
White W. A. Mechanism of Character formation. New York, MacMillan,
Theorie d. Willenserziehung auf d. Grundlage d. Gemeinschaft. 1925[6].

PS. Caetera opera citantur in decursu dissertationis.

INDEX RERUM.

Paginae.

CORRIGENDA.

Pag.	Lin.	
27	22	post verbum eandem *adde:* speciem
31	17	post verbum humanae *pone* signum interpunctionis; post verbum instrumentalis *dele* istud signum.
36	12	ab infra, post verbum materialis *adde:* characteris
53	23	loco circumscriptique *lege:* circumscriptaque
57	16	loco consupiscibilem *lege:* concupiscibilem
61	3	ab Infra, loco sine habitus *lege:* sine habitu
64	15	loco aeum *lege:* earum
66	8	loco operiatonem *lege:* operationem
66	20	loco retatio *lege:* relatio
77	8	ab infra, loco naturati *lege:* naturali
86	21	loco movento *lege:* movente
"	8	ab infra, loco iustitatis *lege:* iustitiae
89	11	ab infra, loco ominis *lege:* omnis
90	3	loco pravatione *lege:* privatione
97	1	ab infra, loco atque *lege:* aeque
119	15	loco excendunt *lege:* excedunt
126	15	ab infra, ante verbum armaturam *adde:* quam
127	8	ab infra, loco inventus *lege:* iuventus
130	3	post verbum Socialpädagogik. *adde:* Theorie d. Willenserziehung auf d. Grundlage d. Gemeinschaft, 1925[6]
"	12	ab infra, post verbum l'adolescent, *adde:* le jeune homme. Paris, Beauchesne, II p. ch. I.